APOLOGETICA CATHOLICÆ RELIGIONIS

VILIELMI TAELBOEMII PASTORIS S. Annæ, & Sacrarum literarum apud Brugenſes profeſſoris: quibus continentur

Epiſtola ad Reuerendiſs. D. Remigium Driutium Epiſcopum Brugenſem, qua explicatur ſcripti occaſio & argumentum:

ORATIO pro defenſione Catholicæ Religionis publice Brugis habita, in præſentia Miniſtrorum ſectæ Caluiniſticæ, Anno 1580.

Diſputatio de verbo Dei non ſcripto dictam orationem ſubſecuta, contra prædictos miniſtros, coram Senatu & ciuibus Brugenſibus.

Eſaiæ 40.
Verbum Domini manet in æternum.
1. *Petri* 1.
Hoc eſt autem verbum quod euangelizatum eſt in vobis.

FVLGET CRVCIS



MYSTERIVM.

LOVANII, Apud Ioannem Maſium, Typ. Iur.
ANNO M. D. LXXXVIII.

CENSVRA.

HÆc oratio Brugis publice habita coram miniſtris Caluiniſticis, vna cũ diſputatione ſubſecuta fidem atque doctrinam orthodoxam ſolidiſsimis ſacræ ſcripturæ, Conciliorũ generalium, ac patrum teſtimoniis validiſsime ſtabiliunt, erroresq́ reijciunt. vnde magna ſtudioſorum vtilitate typis excudentur.

Ita cenſeo frater Paulus van Coye ordinis frat. prædicatorum, Sacræ Theol. Profeſſor, ac per inferiorem Germaniam dicti ordinis prior Prouincialis.

Idem cenſeo & ego Mathias Lambrecht canonicus & archidiaconus Brugenſis, qui orationem præfatam cum diſputatione & epiſtola nuncupatoria diligenter perlegi. Actum Brugis 20 Nouembris, 1586.

PRIVILEGII SVMMA.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum Rex, &c. Dux Brabantiæ, &c. conceſſit Ioanni Maſio, Typographo iurato, imprimere & diſtrahere librum, cuius titulus eſt, *Apologetica Catholicæ Religionis Authore Guilielmo Taelboemio, Sacræ Theologiæ Profeſſore, &c.* vt latius patet in originali Priuilegio, dato Bruxellæ, Anno Domini 1588. Die 7 Martij.

Subſignato

Wijtfliet.

EVERENDISS. DOM.
DOMINO REMIGIO DRIVTIO
EPISCOPO BRVGENSI.

DRACO ille rufus ac ſerpens antiquus, R.D. nunquam deſiſtit (vt eſt in Apocalypſi) à perſequenda muliere amicta ſole & lumine veritatis, ſponſa videlicet Chriſti Eccleſia catholica. Apocal. 12
:rum, vt eſt callidus, hoc agit in omni perſecuone vt capita atque Antiſtites primum inuadat, iemadmodum eccleſiaſticis hiſtoriis ſatis nobis oditum eſt. Scit enim aſtutus ille ſerpens oues noto paſtore facile diſpergi, milites quoq; duce o deſtitutos ſtatim vinci, corpusq; totũ collabi pite ſublato. Quamobrem & in nouiſſima illa rſecutione quã in Belgio mouit per filios ſuos, ereticos peſſimos Caluiniſtas, primum impetũ cit in Epiſcopos ac primores Eccleſiæ. Quod iprimis nos Brugenſis magno noſtro malo exrti ſumus, quando Ordinũ Flandriæ conuentu ãdaui indicto V. Patern. hoſtes fidei proditorie ptiuam ceperunt, vt Paſtore detento libere iam s liceret in oues graſſari. Quamobrem quis cõode exprimat, quantis ab eo tẽpore malis & inommodis expoſita fuerit Eccleſia ac Reſpublica rugenſis? Mox enim introducto in ciuitatẽ Bruẽſem Rihouio duce ſceleſtorum, cum ſeditioſis uibuſdã Gandenſibus, parata eſt defectio à Rea Maieſtate & catholica religione; Clerus milite

grauatus & tantũ non oppreſſus; conciones Caluiniſticæ Paſtoribus incaſſum ſe opponentibus habitæ; imagines è templis amotæ & deſtructæ; templa catholicorum clauſa; religioſi monaſterijs ſuis expulſi; clerici redditibus & bonis eccleſiaſticis priuati; magna pars cleri & bonorũ ciuiũ proſcripta; quotidie noua ciuitatis facies, quotidie nouus luctus. Sed quia omnia cõmemorare lõgum foret, rogo R.V.P. vt dignetur breuibus accipere quomodo ad hanc orationẽ & diſputationem cõtra miniſtros Caluiniſticos habendas (quas V.P. nunc offero) fuerim impulſus. Cùm enim Brugis paſtorem ſimul & ſacrarũ literarum profeſſorem agerem, atq; miniſtri Caluiniſtici occluſis catholicorum Eccleſiis ibi dominarentur: nõ potui non eorum inuidiæ & odio eſſe expoſitus, ac imprimis Ioannis Capitonis cuiuſdam; qui eorum omnium erat caput & vti ipſe iactitabat nouus Epiſcopus. Accidit igitur vt vnam atq; alteram cum ipſo haberem concertationem, & oratione publica ieiunium & Quadrageſimam cõtra ipſum defenderem. cùm autem hæc aduerſarij moleſte ferrent, nec primo conatu à Senatoribus meum exilium poſſent impetrare: id effecere vt quidã Adrianus Lopius in officiũ profeſſionis mihi ſubſtitueretur, me tamẽ nec vocato nec audito. Quod cùm quererer apud nonnullos, re nonnihil in Senatu ventilata, intellexi mihi adhuc integrum eſſe per magiſtratum ſolito meo munere fungi. Cæterũ cùm id viderẽm ob temporum iniquitatem nõ admodum fore diuturnũ: ante omnia me operæpretiũ facturũ putaui, ad confirmationẽ Catholicorum,

vt publica oratione oſtenderem omnibus permanendum eſſe in catholica religione, quantũcunq; tunc videretur laborare; meq; nec poſſe nec velle aliam doctrinã profiteri quam hactenus profeſſus eſſem. Itaq; præſentẽ hanc orationẽ habui coram Ioanne illo Capitone & omnibus aliis miniſtris ſectæ Caluiniſticę, multisq; viris grauibus in frequentiſſimo auditorio. Ea habita mox Capito & miniſtri cõmuni cum ſuis capto conſilio adeunt Senatum, querũtur me blaſphemã & ſeditioſam orationẽ habuiſſe, nec diutius huiuſcemodi hominem in ciuitate tolerandum. itaq; vocor ad Senatum, quo etiã cum iis qui ſe dicebant à conſilio militari cõuenerant octodecimviri, capita videlicet & autores totius hęreticæ factionis ac furioſæ ſeditionis. In eo itaq; conuentu ſumma orationis expoſita cogor ipſum autographum (cùm enim ſubito fuerit cõponenda oratio nullum habebam exẽplar) in manibus Senatus relinquere. Deinde miniſtri cum ſuis inſtant vt ea quæ oratione propoſuerã publica diſputatione defenderẽ. profeſſoris enim eſſe non modo docere, ſed etiam quæ docuiſſet defendere, & ſecundũ Petrum reddere rationem de ea quæ in ipſo eſt ſpe: ſe etiã cupere vt vna mecum adſumerẽ quoſcunq; poſſem doctos viros ciuitatis Brugenſis. Ad hæc reſpõdi me paratũ eſſe facere quæcunq; poſſent à Profeſſore poſtulari: ac proinde ea quæ docuerim me propugnaturum vel oratione, vt iam ſæpius fecerã, vel ſcripto, aut etiam legitima diſputatione, qualem ſemel atque iterum publice habueram exercitij gratia in ſcholis fratrum Dominicanorum, 1. Petri 3.

ad eam videlicet formam qua diſputationes fiunt apud omnes Academias, etiã in quauis facultate: ita nimirum vt eſſem futurus Præſes diſputationum, habito reſpondente, measque concluſiones prius cõfirmarem: deinde ſiquid vellent poſtea obijcerẽt ordine & more ſcholæ, in loco auditorij conſueto, & coram iis quibus adeſſe liberet: nec enim aliud me poſſe facere, nec ipſos aliud debere à me poſtulare: porro quod ipſi dicerent de aſſumendis viris doctis, qui vna mecũ defenderent ea quæ docuiſſem, eos iniquum proponere: tum quod hac ratione viderentur velle concilium aliquod cogere & in dubiũ vocare ea quæ pro certiſſimis omnes habemus, & definita ſunt in concilio Tridentino; tum quod hoc modo derogaretur honori meo, quaſi quæ ſolus docuiſſem ſolus non poſſem defendere: quocirca me non adſumpturum mecum niſi vnicum reſpondentem, idq; cũ ea proteſtatione quod quicquid huius fieret, me non facere niſi exercitij cauſa, & honoris mei defendendi gratia. Cæterum cùm oſtenderem de oratione habita diſputationem non poſſe inſtitui quod in ea attingerentur omnia fere capita totius religionis: poſt multas & varias altercationes tandem concluſum fuit vt intra octiduũ modo prædicto diſputationẽ inſtituerem de traditionibus, ſeu de verbo Dei non ſcripto. quod nimirum illud videretur eſſe fundamẽtum orationis habitæ & caput totius controuerſiæ; An aliquid videlicet admittendum & credendũ eſſet quod non habetetur expreſſe in ſacris literis. Interea autem cœpi exercere officium prælegendi, & octauo die conſtituto

ſtituto (qui incidit in feriam ſecundam) cùm in loco auditorij eſſem hora conſueta, multiq́; conueniſſent, nec tamē adeſſet Capito cum ſuis Miniſtris: ſatis certus de ipſorum calumniis nolui omittere quin diſtribuerem præſentibus, & etiam ipſi Senatui concluſiones, & declararem me paratum ad futuram diſputationem, nequis calumniaretur me ſubterfugere & eſſe in mora. Itaque vocatus Capito, cui adſiſtebat egregius ille ſcilicet Ferdinandus Leits, vulgo dictus Capitaneus craſſis tibiis, teutonice *Capiteyn Dickbeen*, petiuit differri diſputationē in proximam feriā ſextam. Feria igitur ſexta loco & hora præſcriptis comparui cum meo reſpondente M. Seruatio Fabritio Brugenſi, artiū Magiſtro, ac ſacræ Theologiæ ſtudioſo, docto admodum ac pręclaro viro, magiſtro ſcholæ Bogardicæ ſeu pauperum. Eo etiam conuenit vterq; Conſul ſeu Burgimagiſter, nimirum Iacobus Bryſſault & Iacobus de Caboterc cum toto fere Senatu: necnon M. Franciſcus de Groete ſcriba, omneſque fere docti, cum magna parte totius ciuitatis, vt fit in huiuſcemodi concurſu. Capito etiam cum omnibus Miniſtris ſuæ ſectæ & Adriano Lopio ſimul adfuit. Verum mox patuit eorum animus & fucus. nam primum voluere ſcripto mandare, quæcunq; dicturus eſſem. At ego; Si id facto opus eſſet, ipſemet, inquam, ea vellem deſcribere. Ac proinde cùm iſtud nec Senatui nec auditorio æquum videretur, ad aliud ſubterfugium delapſi ſunt: nempe ſe velle diſputare ſermone Teutonico, multiſq́; verbis Teutonice declamatis, adnitebātur turbam aliquam in

auditorio excitare. Tum ego, Quæ, inquam, erit forma illa diſputationis? Anne conſtitutum fuit vt Latino ſermone & ad eum modum quo in Academiis diſputatur diſputaremus? Cumq; me referrem ad Burgimagiſtros & Senatum præſentem, coram quo ita conuentũ & conſtitutum fuerat: Reſpondit prior Conſul Bryſſautius, vnicus fautor hæreſeos Caluiniſticæ; Quid Capito tergiuerſaris? ſcis quid conſtitutum fuerit. ſi tibi animus diſputandi non erat, quorſum ad diſputationem prouocaſti, & tantã tragædiam excitaſti? Ad hæc verba erubuit Capito & totũ collegium Miniſtrorum; reſponderuntq; ſe negotium communicaſſe cum ſuo conſiſtorio, vt vocãt, nec ſibi licitum eſſe eo modo quo decretum erat diſputationem inire. Callide ſcilicet, volentes nimirum cogebantur, cum eſſent capita totius conſiſtorij, & ſine eorum voluntate atque adeo niſi per ipſos nihil ibi definiretur. Nihilominus tamen placuit Burgimagiſtris & reliquis præſentibus vt diſputationem inſtitutam inchoarem & finirem. itaq; lecta aliqua parte confirmationis qua concluſiones præſentis diſputationis confirmabam prout infra ſequitur, propoſui more ſcholæ vtpote diſputationis Præſes primum argumentum, impugnauique primam concluſionem, deinde petiui à Capitone & Miniſtris an placeret aliquid obijcere aduerſus theſes propoſitas? Ipſis recuſantibus conuerti me ad alios præſentes: inter quos erant duo doctiſſimi viri ſacræ Theologiæ Licentiati: quorum alter erat M. Franciſcus Lucas, alter vero M. Ioãnes Baptiſta Caeſenbrotius; vterq;

 Bru-

Brugenſis. Hi igitur ſecundam & tertiam cõcluſionẽ impugnarunt. Denique me iterum percontante an aliquis eſſet qui haberet quod obijceret, cùm nemo vltra vellet argumẽtari, ego ipſe aduerſus ſingulas cõcluſiones argumentatus ſum, inter cætera hoc adijciens, me adferre præcipua aduerſariorũ argumenta. Quæ cum omnia admodum docte dilueret M. Seruatius locum tenens reſpõdentis, & ad omnia conticeſceret Capito & Miniſtri velut muti, tandem cõcluſi diſputationem ad eum modum quo infra propono, auditoriumque dimiſi. Verum maiore auditorum parte recedente Miniſtri iam omnino perplexi & præ pudore ſtupidi, ne nihil feciſſe viderentur: quidam ex ipſis poſtulauere, vt theſium propoſitarũ confirmationes accuratius deſcriptas in mediũ proferrem, quod & quamprimũ feci, eaſque (vt moris eſt in iis quæ poſtulãtur coram Senatu) in domo publica Scribæ Brugenſis depoſui. at fruſtra. nam deinceps nemo eas vel deſiderauit vel de eis quicquã auſus fuit ſciſcitari. Capito vero qui inter eos primatũ tenebat videns iam de ſuo honore actum eſſe, plane furibundus rabiem ſuam conuertit in Philippum Baeſdorpium cum eo altercans de Sacrificio Miſſæ. inter cæteras etiam hanc blaſphemiam emittẽs os putidum & impudens: Miſſam nimirũ dictam ab emittendis blaſphemiis. Quod cùm audirem, me continere non potui, ſed ei aperto Marte me denuo oppoſui, aſſerens nec ipſum poſſe vllã è Miſſa proferre blaſphemiam, & contra me poſſe demonſtrare ea quæ in Miſſa continentur eſſe Apoſtolica, & ab ipſis

Apoſtolorum tẽporibus fuiſſe in Eccleſia vſitata. At ille mox de vno trãſiliens ad aliud, vt ipſis moris eſt, cœpit diſputare de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia, quærens à me quid demonſtraret pronomen [hoc] in hac propoſitione, Hoc eſt corpus meum. Cui cùm dicerem demonſtrare ſubſtantiam contentam ſub ipſis ſpeciebus, mox ridicule intulit: Ergo panis pependit in cruce. Quod cùm negarem conſequi, & ipſe contra me adferret verba textus è cap. 11. epiſtolæ prioris ad Corinthios, vbi Paulus ſcribit Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur; ſubintuli quod eum iugularem ſuo gladio: Chriſtum enim dixiſſe quod illud ipſum corpus daret (vt verba Græci textus ſonãt) quod pro nobis frãgeretur, & vulneraretur in cruce: atqui nos vero nõ autem imaginario aut figuratiuo corpore eſſe redemptos, ac proinde verum Chriſti corpus nobis exhiberi in Euchariſtia. Miniſtri alij videntes Capitonem nihil agere, imo conuictum eſſe, ſubiecere aliud argumentum: quod nimirum Chri-
ꝛtb. 26 ſtus dixiſſet: Non bibã amplius de hoc genimine vitis: quare ipſum non dediſſe in calice aliud quam merum vinũ & genimen vitis. Sed reſpõdi eam eſſe ſcripturæ ſacræ conſuetudinẽ, vt ea quæ in aliud mutata ſunt vocet eiſdẽ nominibus quibus appellabãtur antequam mutata vel tranſlata eſſent in aliud: ita ſcriptum eſſe virgam Aaronis
di 7. deuoraſſe virgas magorum: & cæcos videre ac
ꝛtb. 11 claudos ambulare, & id genus alia. Cùm ergo ea obiectio voto eorum non reſponderet, rediit Capito ad id quod prius, denuo interrogans; Quid

 demon-

demonſtraret pronomen [hoc?] Cumq; ei reſpõderẽ quod ſupra dixi, & ipſe iterũ ac tertio idem inculcaret, nihilque aliud haberet quod adferret, omnibus tandem riſum mouit. Cumque me interrogaſſet M. Franciſcus de Groete Scriba: An etiam paratus eſſem publicam habere diſputationẽ ſuper veritate corporis Chriſti in Euchariſtia: Reſpondi me paratum, ſi id poſcerent Miniſtri. atq; ita Scriba ipſe & Burgimagiſter Caboterius me ex loco auditorij conſueto, vbi hæc omnia palam acta ſunt, deduxerunt, totusq; conuentus ſolutus eſt. Is ergo fuit finis totius tragœdiæ. Hæc autem ita accidiſſe nequis ambigat, teſtes appello omnes qui præſentes fuere tam amicos quàm inimicos, qui cuncti adhuc in viuis ſunt, totaque ciuitas hæc declarabit, & interim vbi opus fuerit, idem docebo publico inſtrumẽto Notarij M. Iacobi Daſſommeuyle, quem ad hoc compellaueram vt tãquam Notarius præſenti diſputationi intereſſet, de omnibus quæ agerentur legittimus teſtis futurus. Et ſane poſt hanc diſputationẽ habitam, decreto Senatus, qui tamẽ pro Caluiniſtis ſtabat, cõtinuatus fui in officio profeſſionis, & ſex deinde continuos menſes publice docui, potiſſimum de ſacramentis Euchariſtiæ & Pœnitẽtiæ; nemimine vel audente contra meas prælectiones amplius muſſitare, quoad certo edicto cautum fuit nequis fieret cõuentus religionis alicuius cauſa, niſi eius quæ publice exerceretur, quæ ſola erat Caluiniſtica. Quo edicto non putabam mihi ademptam profitẽdi facultatẽ: quippe cum ea functio non eſſet exercitium alicuius religionis, ſed

tantum

tantum lectio. Cùm igitur viderent omnes me perſiſtere in munere prælegēdi, Commiſſarij bonorum Eccleſiaſticorum autoritate Senatus officium profeſſionis ſuſpenderunt, perſoluto tamen honorario conſtituto ad eum vſq; fere diem quo fui in exilium miſſus. Quæ omnia clara ſunt & conſtant per libellum ſupplicem, quem ſuper hac ſuſpenſione Senatui porrexi, atque etiam per acta publica & computū ciuitatis. Ex his igitur vnuſquiſq; facile colligat quēnam effectum & oratio & diſputatio conſecuta ſit. Per ea quoque omnia, R^{ſſe}. Domine, quæ iam cōmemoraui euidens eſt, me neceſſario tùm hanc orationem habuiſſe tum diſputationem ſuſcepiſſe, non propter hæreticos & eorum aſſeclas, ſed propter Catholicos: qui niſi in officio meo cōſtans fuiſſem, & aduerſariis frōtem præbuiſſem, offendiculum fuiſſent paſſi, & (vt mihi complures aſſerebant) alij nutaſſent, alij defeciſſent à catholica religione: nec vſquā apud Caluiniſtas Catholici ciues vel hiſcere auſi fuiſſent. Ac proinde mori ſatius ducebam quam hac in parte meo officio deeſſe. Deinde etiā hinc patet me nihil feciſſe, imo ne attentaſſe quidē quod cōſtitutionibus Eccleſiaſticis repugnaret, ſed me obſecutum legi diuinæ atque doctrinæ Eccleſiaſticorum doctorum, à quibus præſcribitur vt hæretici redarguantur, & propter ſcādalum puſillorum ipſis reſpondeatur, eorumq́ue calumniæ & fictæ rationes diluātur. Quod ſpero me cum Dei gratia feciſſe, idq; diſputatione legittima per modum exercitij inſtituta, vt quotidie videmus fieri in ſcholis. Denique, quod palmarium eſt, laqueo

quem

tri 3.
1.
6 & 9
. lib. 2
ur. Pa-
cap. 4.
n. 2. 2.
. ar. 7.
eſt. in
, diſpu.

quem tetenderant, ipſimet aduerſarij capti ſunt, eorumq; os plane obturatum; totiq; mundo declaratum eſt quod nullo niterentur fundamento, ſed omnia quæ agunt & docent merũ eſſe fucum ac ſpecimẽ tantum religionis, vt corruptores verbi diuini & vere hæreticos eos eſſe agnoſcas, ad maximũ ipſorum dedecus & in gloriam perpetuam Catholicorũ. Cæterũ cùm hęc anno octuageſimo acciderint intra Paſcha & Pẽtecoſten, etſi animus mihi fuit vel iam inde ab initio ea typis mandare atq; omnibus patefacere, hactenus tamen commode id facere nõ potui. nam tantiſper dum adhuc Brugis agerem omnes amici id diſſuadebant, ne vltro mei proſcribendi darem occaſionem, néve viderer meos Parochianos in tantis anguſtiis vltro velle deſerere. Deinde cum eo tẽpore in carcere Gandaui per inimicos fidei detineretur V. P. ſine cuius autoritate nec volui nec debui publicum hũc actum officij mei prælo cõmittere, neceſſitate conſtrictus fui editionem aliquãdiu prætermittere. Atqui dum per Miniſtrorum importunitatem à Senatu in exilium miſſus eſſem, & interea è carcere V. P. liberaretur, principio, vt fit, variis peregrinationibus multisque miſeriis fui obnoxius: deinde ad curã paſtoralem & decanatũm oppidi Burburgenſis euocatus tãtis laboribus continuo fui implicitus vt de his emittẽdis nihil vel cogitare licuerit. Temporis autem progreſſu dũ animus à primo illo calore deferueſcit, plurimis me inſtanter hortãtibus & inculcãtibus è Republica Chriſtiana eſſe huiuſcemodi euulgare, cenſui expectãdum commodum
ali-

aliquod tempus quo V.Paternitati iam in ſedem Epiſcopalem reſtitutæ,poſt totam obtétam diœceſim & quietam redditam ſedulo poſſem gratulari. Sed dum differo annus lapſus eſt,nec quãdo id futurum ſit certa adhuc poſſumus coniectura aſſequi. Itaq; omnia committẽs voluntati ac prouidentiæ diuinæ,deprecor V.Pat.vt hęc oratio & diſputatio,quas cum diſcrimine vitę meæ pro defenſione Catholicę religionis habui,veſtris auſpiciis & fauore in lucẽ poſſint exire, eaſq; R.V.P. in gratiarum actionẽ conſecro ac dedico. Imprimis pro parte patriæ meæ, quantũ in me eſt, V.P. gratias agens,quod tantas & tam varias calamitates,tanto tempore, in iſta ſenili ætate tam patienter pro ſalute Eccleſiæ Brugenſis ſuſtinueris, atq; impræſentiarũ adhuc ſuſtineas. Deinde quod in vinculis adhuc detẽtus veſtris piis exhortationibus & opera domini Archidiaconi vicarij veſtri nos paſtores tuos ita excitaueris & animaueris,vt nullus noſtrum oues ſuas niſi coactus & magno dolore reliquerit: adeo vt vſq; ad extremũ frontem præbuerimus aduerſariis eorũ conatibus, & ſcripto,& oratione,& omnibus quibus potuimus modis reſiſtentes.Denique quod me ab exilio redeuntem eo honore dignatus ſis, vt in numerum Canonicorum Eccleſię veſtræ cooptaueris.Quãobrem me totum V.Pat. offero,rogans obnixe,vt dum per grauiſs. occupationes tuas opportunum fuerit, digneris hiſce legẽdis animum veſtrum in tantis miſeriis nonnihil recreare. Spero enim nõ fore iniucundum memoria repetere etiam tunc cum per vim à ſua Eccleſia V. Pat. detinebatur,

oues

oues veſtras non fuiſſe deſtitutas, idque per veſtrum ſtudium & ſollicitudinem, imo ipſis abunde declaratam fuiſſe veritatẽ, vt nulla ex ipſis perierit aut ſeducta ſit, niſi quæ in voluntariũ ruere voluerit interitum. Nam, vt de doctiſſimis Dom. Archidiaconi ac aliorum doctorum virorum aſſiduis concionibus taceam, hac ſola oratione in conſpectu totius ciuitatis palam omnibus monſtratum eſt religionẽ, in qua Deo ſeruimus, omnino ſinceram eſſe, nec obnoxiam vllis calumniis quibus eam falſo impetunt aduerſarij, imo eam eſſe ſolã qua Apoſtoli ac martyres omnesque ſancti Deum Optim. Max. coluere, nec cogitatione quidem poſſe comprehẽdi aliam eſſe poſſe quam hanc noſtram religionem, per quam gratus poſſit cultus S. Trinitati exhiberi: ac proinde in ea quã ſemel accepimus permanẽdum eſſe vſq; ad mortem, nullaque ratione ab ea recedendum ob prætenſos quoſdam abuſus, aut reformationẽ ne dicam deformationem. ſi quid enim reformãdum ſit, vt bene demõſtrat Concilium Tridentinum, ita reformandum eſſe vt interim corpus totum, ipſaque ſubſtantia ſalua permaneat: nec animos noſtros ob id conſternari debere quod Sacramẽta tam ignominioſe videamus contemni, religionemque deprimi. hæc enim ob hominum peccata, Deo permittente, euenire & ſæpius eueniſſe etiam in veteri teſtamento. Deinde diſputatio ſubſecuta omnibus luce clarius oſtendit aduerſarios nihil habere quod contra veritatem noſtræ religionis cum ratione poſſent obtendere, ſed eos omnia ſua per vim facere odio ac prauis affecti-

Argumentum orationis.

bus

bus laborantes. Scio quidem, Reuerendiſs. Dom. elegantiorem ſtylum & maiorem ornatum hæc poſtulare: tamen nihil in eis mutandum exiſtimaui; tum quod mihi perſuaſum habeam à Spiritu ſancto mihi in tali conflictatione & neceſſitate conſtituto hæc ſuggeſta fuiſſe, cum ob anguſtiam temporis abſque vlla fere præmeditatione & velut ex tempore omnia dicenda fuerint: tum quod multi fuerint qui ea tum temporis deſcripſerint. Itaque vt eo tempore propoſita fuere, ita etiam nũc cum omnibus cupio ea communicare, obſecrans V. Pat. vt ea dignetur autoritate ac fauore tueri meque habere commendatum.

Hiſce, Rſſe. D. precor Deum Opt. Max. vt V. Pat. Eccleſiæ ſuæ diu ſeruet incolumem. Raptim Audomaropoli Prid. Idus Maij. Anno 1585.

Reuerendiſſ. V. Paternit.

Deditiſſ. famulus Guilielmus Taelboem.

Corrigenda in quibuſd. exemplarib.

Fol. 2. b. lin. 16. nec cogitauimus. 4. b. 9. vane. 19. 19. perſcrutareris. 20. 18. triginta. 24. in marg. quarta. 28. b. 20. & ad. 29. 24. in marg. Ratio 1. b. Ratio 2. Ratio 3. 30. 8. Ratio 4. 11. Ratio 5. 31. Ratio 6. Ratio 7. ibid. 15. obſeruata. 32. b. Ratio 8. 33. Ratio 9. 37. b. 15. primarium. 45. b 25. cõmenta. 46. b. 21. eccleſia. 48. b. 2. interrogem⁹. 51. in marg. Heluidiũ, & in ep. 54. 4. cæleſtia. 56. 18. Aërianorum, ibid. vlt. add. contra Luciferianos. 4. ex confir.

ORATIO PRO DEFENSIONE CATHOLICÆ Religionis publicè Brugis habita in præſentia miniſtrorum ſectæ Caluiniſticæ.

NVLLA res eſt, humaniſſimi auditores, quæ animũ hominis Chriſtiani magis anxium reddit & perplexum tenet, quã ea perturbatio, quæ in Rempublicam incidit, ob mutationem religionis. Quid enim eſt in iis quæ nos appellamus bona, quod conferri poſſit cũ tranquillitate conſcientiæ, quæ ex vnius veri Dei cultu potiſſimum dependet? quis enim Deum ſibi propitium habeat, qui ei non ſeruiat iuxta modum ab eo præſcriptum? Quam cõſolationem afflictis in rebus expectes, ſi ad Chriſtũ non confugias, & in eius religione ac placitis non conquieſcas? itaque prora & puppis noſtræ ſalutis vera eſt religio. hinc omnis pax totaq; proſperitas dependet: qua ſemel perturbata, reliqua perturbãtur om̃nia. Quamobrẽ cùm viderem poſtridie eius diei, quo apud vos de ieiunio & quadrageſima orabam, tanta & tam ſubita

tempeſtate totam moueri ciuitatē, collegas meos proſcribi, auditores pleroſq; meos in exilium eijci, Eccleſiaſtarum os obturari, templa Catholicorum claudi, quo cēſetis me fuiſſe animo? Magis ſanè ad deflendam cōmunem calamitatem, & ad eiulandum quam ad prælegendum fui animatus. Verebar etiam quorſum omnia ſpectarent, nec ſatis tutum putabam in ea vehementi mutatione officium prælegendi exercere. Suſpirabam quoque ad aliquam circa feſtum Paſchę futuram mitigationem, qua habita ſecurius ſolitum munus obire poſſem. Verum nunc optima ſpe concepta de beneuolentia ac voluntate ſenatus, priſtinum prælegendi munus (aliquot licet diebus intermiſſum) hodie aggreſſus ſum. quod ſpero cum gratia fore omnium. Neque enim mihi conſcius ſum me præteritis annis ad hunc vſque diem aliquid docuiſſe, quod eſſet contra conſcientiam meam, vel ſacræ ſcripturæ repugnaret, vel de quo rationem reddere non poſſem. Siquidem tam temerarius non ſum, vt quicquid in buccam venit hic apud vos effutiam; ſed quæ ante magno adhibito ſtudio præmeditatus fui & ſcriptis mandaui, ea demū in commune

adfero,

adfero. quod & annotationes ſcriptæ & auditores ſuo teſtimonio confirmabunt. Sed quia ſæpe contingit multos ea quæ ignorant odiſſe, & veritatem calumniis detrahentium quãdoque laborare: ideo paucis decreui hac oratione oſtendere religionis noſtræ ſubſtãtiam, cui nos Catholici innitimur, puram putam eſſe & in firmo conſiſtere fundamento, in eaq; nos tuto permanere: deinde ita abuſus ſi qui irrepſerunt, tollendos eſſe, vt interim religionis ſubſtantia ſalua conſiſtat: denique non dubitandum propterea de noſtræ religionis ſolida veritate, etiam ſi impræſentiarum tanto odio laboret & tam grauem ſuſtineat perſecutionẽ. Prima autem orationis noſtræ pars in duobus conſiſtit, nempe in depulſione quorundam mendaciorum, quibus nos falſo aduerſarij noſtri criminantur: deinde in oſtenſione ſoliditatis & antiquitatis noſtræ religionis. Quemadmodum enim, humaniſſimi auditores, in iudicio accidere conſueuit, vt ij qui de cauſę bonitate diffidunt, ad calumnias & mendacia deflectant; ita vſu venire ſolet vt inimici veritatis, dum Eccleſiam Catholicam veritate ſuperare nõ poſſunt, eam ſtudeant variis calumniis & mendaciis

Euſeb lib.4. hiſtor Eccleſ. cap. 8. & li. 5. cap. 2 & 3 item lib. 4. cap. 15. & lib. 8. cap. 6.

onerare. Sic olim Pagani (vt eſt apud Euſebium) Chriſtianos accuſabant, quod diuerſa ſcelera in ſuis ſacris admitterent & carnes humanas deuorarent; quodq; martyres pro diis colerent; & Iouis ac Martis loco haberent, Sic Pelagiani ætate Auguſtini Catholicos vocabant Manichæos; eoſque apud vulgus reddebant odioſos, quaſi liberum arbitrium & meritum negarent, & nuptias condemnarent, ex eo quod gratiæ eſſent defenſores, & aſſererent paruulos naſci peccato originali obnoxios. Ita ſane & hac tempeſtate, nos Catholici apud imperitos & idiotas à noſtris aduerſarijs de multis accuſamur, quæ ne cogitamus vnquā: abſit vt vel ea docuerimus vel populo propoſuerimus.

Auguſt. li de ſpiritu & litera cap. 30. & lib. 4. cōtra 2. epiſt. Pelagia. c. 6.

Prima calumnia.

Aiunt nos diuini verbi eſſe contemptores, quod admittamus traditiones cum verbo pugnātes, & pluris faciamus hominū doctrinas (vt loquūtur) quam ſacras literas ſpiritu diuino allatas. Et tamē qui in maiore veneratione ſcripturam habent, quam Catholici? qui eam nòn mutilam ſed integram ſuſcipiunt, qui eā falſis interpretationibus nō contaminant, ſed vt ſpiritu ſancto afflati ſancti Dei homines intellexere, ita eam accipiunt; qui in ea toti conquieſcunt

cunt nec minimum quicquam admittunt quod cum ea pugnet, omniaq́; ſua iuxta illam examinát. An ideo, obſecro, verbum Dei contemnimus; quia quædam, quæ tam aperte ibidem non habentur, obſeruanda vel credenda aſſerimus? Atqui omnia iſta ex ſacris literis dependent & inde trahunt ſuum fundamentum, charitatemq́ue promouent. Si enim in litera nuda tantũ conſiſtis: quomodo conuinces Arrianos, Sabellianos, Macedonianos, Neſtorianos? Anne hoc pacto & anabaptiſtæ, & quilibet hæretici triũphabunt? Et quorſum promiſſio illa de qua ad Epheſios, quod *Cap. 4.* Chriſtus dedit paſtores, prophetas, & doctores, vſque ad conſummationẽ ſæculi: ſi male faciamus ſcriptutam accipiendo iuxta ſanctorum expoſitionem, quam verbo & opere nobis commendauere? Et qui vnquam magis ſolliciti fuere, nequid contra verbum admitterent quã ſancti martyres & priſci illi patres? Qui magis ſpiritum habuere, quam illi per quos Spiritus ſanctus tot populos cõuertit & tam præclara miracula operatus eſt? Quibus gloria Chriſti amplius fuit curæ, quã illis qui pro Chriſto mortem ſubiere? Nec ſane hominũ iudicio

ſtamus (vt quidam effutiunt) dum eos ſequimur, ſed ſequimur Eccleſiam veterem adeoq; ductum ſpiritus ſancti. Nam ex actis & ſcriptis martyrum, & patrum monumentis, cognoſcimus quomodo ſpiritus ſanctus docuerit pios homines, per Apoſtolos eorumque ſucceſſores, Deum colere, ſcripturamque ſacram intelligere. ac proinde dum patrum concordem doctrinam & expoſitionem adferimus, nihil aliud vrgemus quam authoritatem veteris Eccleſiæ, atque adeo totius orbis Chriſtiani; qui per martyres & ſanctos viros illos credidit & inſtitutus eſt, atque ita aſſerimus verbum quod ab initio prædicatum eſt, quod & inuiolabile eſt & immutabile. *2. Calumnia.* Verum, quod minus tolerãdum eſt, clamitant diuinitati nos eſſe iniurios, & ea quæ creatoris ſunt creaturæ tribuere. Sed dum huiuſmodi è pectore ſuo depromunt, declarátne, auditores, ſe affectu & odio laborare? Nónne & in media luce cæcutiũt? Quid enim apertius, quam eccleſiã gentium per merita Chriſti, iuxta Prophetarum vaticinia, ab omni idololatria auerſam, & ad vnum verum Deum eſſe conuerſam. *Eſa. 2. Zach. 13.* Quomodo omnes maiores noſtri aliter effecti ſunt Chriſtiani? quã

quod

quod idololatria relicta, vnum Deum ſuſceperint; in cuius vnius verò cultu Eccleſia noſtra collecta eſt. Neque enim in Euchariſtia alium quam vnum Chriſtum vnumque Deum adoramus; neque alij quam vni Deo ſacrificium offerimus, etiamſi ad altare ſanctorũ, vt piorum hominum, memoriã celebremus. Nec templa & altaria dicamus vel conſecramus Sanctis (vt [1] Auguſtinus docet) ſed ſoli Deo, quamuis & antiquitus diſtinctionis [2] gratia Sanctorum nominibus fuerint appellata, eorumque in eis memoria celebrata. Neque etiam imagines aut ſtatuas pro idolis habemus; ſed per eas ad diuina beneficia commemoranda excitamur, & in ipſis Deo ac Sanctis honorem impendimus. Neque Sanctis diuinum cultum attribuimus; ſed eos quemadmodum & nobiſcũ viuentes, vt pios Dei cultores, veneramur: nec enim cultus latriæ ex ſignis externis, ſed ex mente colentis metiendus eſt, vt ſacris literis ſatis proditum eſt. Neque etiam dona Dei Sanctis accepta ferimus: ſed vni Deo per Chriſtum; licet Sanctorum preces, vtpote amicorum Dei, apud Deum multum valere non dubitemus. Cæterum & hoc addunt, vt populi odio nos

1 *Auguſt li. 2. de Ciuit. Dei cap. 10. item lib. 8. de Ciuitate Dei c. 27. & l. 20 contra Fauſt cap. 20.*

2 *Lib. 1. de Ciuit. Dei cap. & lib. de cura pro mor. Hieron in epiſt ad Riparium & contra Vigilantium.*

3 *Calumniæ*

nos exponant; Catholicos Chriſti meritis & paſſioni derogare, per doctrinam de ſacramentis & miſſæ ſacrificio, nec non per opera atque ſatisfactionem penitentiarum, & inuocationē ſanctorum; acproinde vt impios minime eos ferendos eſſe. Mirum profecto eſt huiuſmodi tam impudenter ab aliis dici, & tam varie ab aliis credi. Quid enim in Catholicorum cœtu magis inculcatur, quam vni Deo per Chriſtum noſtram ſalutem eſſe adſcribēdam: & Chriſtum vnicum & ſolum eſſe noſtrũ redemptorem & mediatorem; qui ſolus per vulnera & mortē ſuam noſtras animas à peccatis liberauit, & gratiam à Deo patre nobis impetrauit; ſine quo nemo Deo patri gratus eſſe poteſt? Quocirca nec per ſacrificium miſſæ, nec per ſacramenta, virtuti paſſionis quicquam detrahimus, ſed mirifice eam extollimus atque prædicamus: & proteſtamur eius vnicum ſacrificium oblatum in cruce nos ſolum iuſtificare, cuius virtus, & per ſacrificiũ noſtrum, & per ſacramenta nobis applicatur. Nec ideo dicimur ſatisfacere, quod exiſtimemus ſatisfactionem Chriſti nobis non ſufficere; ſed quod per eam ſatisfactionem nobis ſatisfactio Chriſti com-

communicetur. nec ita neceſſitatem
operum prædicamus, quaſi nos noſtræ
ſalutis ſimus auctores: ſed quia Chriſtus
non vult ſuos deſidere, nec quemquam
per merita ſua vult ad ſalutem ducere
niſi obſeruantem mandata ſua: &, dum
merita noſtra coronat, ſua dona coronat.
Et quemadmodum, poſtulãdo viuẽtium
orationem, non agnoſcimus alium me-
diatorem quam Chriſtum: ita quoque
dum ſanctorum iam dormientium &
tamen cum Chriſto viuentium & re-
gnantium orationes imploramus, alium
non conſtituimus mediatorem quam
vnum Chriſtum Ieſum. Sed quemad- *4. Calumnia.*
modum quoad merita Chriſti multi,
multa de nobis falſa comminiſcuntur;
ita etiam quoad gratiam & prædeſtina-
tionem. Neque enim gratiam negamus; *2 Corint. 3.*
ſed non poſſe quenquam vel boni ali-
liquid ex ſe cogitare, vel ad Chriſtum
venire niſi pater qui miſit eum traxerit *Ioannis 6.*
ipſum, omnibus modis cõfitemur & nos
omnes natura filios irę in peccato natos, *Epheſ. 2.*
& ad peccatum ſemper propenſos, egere
cõtinua miſericordia diuina: nec tamen
propter gratiam cum Manichæis tolli-
mus liberum arbitriũ; nec propter præ-
deſtinationem, negamus baptiſmi ne-

ceſſitatem. nam Deus ſicut præuidet & prædeſtinat ſuos ad ſalutem, ita & media præuidet & præordinat modum quo ſuos vult ſaluari; adeo vt qui media non attingant, cenſeri poſſint nec ad finem prædeſtinationis vnquam pertinuiſſe.

5 *Calumnia.* Porro ſicut in iam antedictis calumniam ſuſtinemus; ita etiam in eo quod dicimur in externo cultu, qui ſpiritali cultui non ſit conuinctus, pietatem conſtituere. Et hac ratione noſtra ieiunia, vigilias, veſtium vilitatem, crucis ſignaculum cæremoniasque Eccleſiæ Catholicæ, & id genus alia tanquam ſuperſtitioſa conuitijs inceſſunt. Et tamen quid aliud prædicamus, quam Deum eſſe ſpiritum, & ſpiritu & veritate velle adorari? Quid aliud clamamus quam finem legis & plenitudinem eſſe charitatem? At quia corpori anima vnita eſt, adminiculo exercitiorum externorum indiget, & per huiuſmodi mens eleuatur in Deum, & caro ſpiritui ſubiugatur: & hoc modo proteſtamur cum Paulo, in ſola cruce & crucifixo nos gloriari. Et profecto qui huiuſcemodi externa contemnit quæ ſcriptura commendat, & quibus omnes boni ſemper vſi ſunt; raro imo

ro imo nunquam ad internum & ſpiritalem Dei cultum conſcendet. Quid? quod etiam cum magno ſtomacho vociferantur Doctores Catholicos fidem & bonum motum mentis excludere, quando docent Sacramenta valere ex opere operato. Atqui ea voce viri illi docti & perſpicaces hoc volunt, quod ex ſcriptura contra Donatiſtas late docet Diuus Auguſtinus: Sacramenta nimirum habere ſuam efficaciam ex Chriſti inſtitutione & non ex merito ſuſcipientis aut adminiſtrantis, vt cum ſuis volebat Donatus. Quare videtis, quam ſint aduerſarij noſtri candidi reprehenſores; imo quo pacto veritatem veritatis prætextu conentur obſcurare. Eo etiam ſpectat quod nos nuptias dicunt condemnare, quia virginitatem nuptiis præferimus, vel quia cum Chriſto & Paulo virginitatis votum amplectimur, & cœlibatum non eſſe negligendum ſuſtinemus. quaſi vero qui vnum alteri præfert, alterum condemnet; aut ideo aliquis liber ſit à voti vinculo, quia nuptiæ bonæ ſunt: cum ſecundum ſcripturas à multis licitis per votũ abſtrahamur, quæ poſt votum fiunt illicita. & Patres cõtra Manichæos nuptias defendunt, qui & vir-

6 Calumni[a]

7 Calumn[ia]

Matth 19
1. Corint. 7
1 Timot. 5

virginitatem & votum virginitatis maximè prædicauerunt. Sic etiam calumniæ, qua nos aſſerunt per ciborum delectum cibos, quos Deus creauit, condemnare, nihil aliud reſpondeo quam Eccleſiam catholicam, ante mille ducentos annos, Manicheos cibos tanquam natura malos refugientes condemnaſſe & adhuc condemnare: & dico cum Auguſtino aduerſus Fauſtum Manichæum ſcribente, Eccleſiam Manichæos condemnare cum Apoſtolo, non quia à cibis abſtinent, ſed quia ab his tanquam natura malis abſtinẽt: totum verò Chriſtianum orbem ab his tempore quadrageſimæ recte abſtinere; quia ab eis abſtinent non vt à malis creaturis, ſed vt abſtinendo carnem ſpiritui ſubijciant. Quamobrẽ, humaniſſ. auditores, id omnibus teſtatũ volo, & coram toto mundo proteſtor (vt vt nos vocẽt aduerſarij, quo odium & inuidiam nobis concilient, impios, ſuperſtitioſos, idololatras, & ſacrarum literarum contẽptores:) nos tamen præ cæteris omnibus ſacram ſcripturam venerari & ab ea totos dependere: nos vnum Deum colere & adorare, & ei nos ſpiritu & mente ſeruire: in Chriſto ſolo omnẽ ſalutis noſtræ ſpem conſti-

Calumnia.

[A]uguſt. li. 30 [con]tra Fauſt. [M]anich. cap. 4. & 5.

[1.] Timo. 4.

conſtituere, gratiam & prædeſtinationem quam maximè prædicare: nos nec nuptias nec vllam Dei creaturam condemnare, nec quicquam quod ſcripturis contrarium ſit approbare. Sed depulſis calumniis, quibus falſo impetimur, oſtendamus nunc, auditores Chriſtiani, quod rectè in ea, in qua nati & educati ſumus, permaneamus religione. Nemi-nem enim Chriſtianorum adeo à ratione alienum eſſe puto, qui exiſtimet religionem Chriſtianam veram non fuiſſe, prout ab Apoſtolis fuit prædicata & ab eorum ſucceſſoribus propagata & dilatata, pro qua & martyres mortem oppetiuere. non dubitandum eſt enim Sanctos Chriſti martyres & Dei cultores primis quadringẽtis annis Domino Deo recte ſeruiiſſe & ab omni ſuperſtitione fuiſſe alienos: ac proinde non alia quærenda eſt via præter eam quam ingreſſi ſunt illi, de quibus non diffidimus quin cũ Chriſto regnent in cælis. ſi ergo ego pari cum eis modo Deo & Chriſto meo ſeruire cupio, falli & errare non poſſum. Quid igitur iraſceris, cur offenderis, cur impedis? Atqui dubiũ nulli eſſe poteſt qui patres & hiſtorias legerit, quin, intra primos quadringentos annos, omnes

Altera par[s] primæ partis

Prima ratio

Chriſti

Chriſti cultores [1] ſignaculo crucis ſe ſignauerint, [2] & gratiã cum libertate voluntatis prædicauerint: [3] omnes quoque naſci peccato originali obnoxios, quamuis è Chriſtianis parentibus prognatos, [4] atque ita baptiſmum omnibus eſſe neceſſarium exiſtimarint. Sed nónne & eo ſeculo, vt omnibus in confeſſo eſt, [5] poſt baptiſmum lapſi pœnitentiam egerunt, & exomologeſin fecerunt? [6] Sed & Euchariſtiam nónne in ſumma habuerunt veneratione; adeo vt eam tanquam myſterium tremẽdum ne aſpicere quidem voluerint, vel pœnitentes, vel nondum baptizatos, vel energumenos? [7] Quin etſi quando in publica cócione de ea incidiſſet mẽtio, non voluere de illa apertè loqui, ne forte prophanis proderent myſteria Dei. Sed nouerunt (inquiunt initiati) quod dicimus, vel ſimili modo recte de tãto myſterio loquebãtur. [8] Cùm verò corã ſolis initiatis hoc myſterium aperirent: multis ſcripturis, ſimilitudinibus,

1 Abdias in vita Andreæ, Iacobi & Pauli. Diony. de eccle. Hierarch. 1 & 2 parte. Tertul. lib. de coro. militis. Athanaſ. li de Incarnat. verbi et alij omnes patres.

2 3 Auguſt. in libris cõtra Pelagian. to. 7. Hierony. & Proſper contra eoſdem.

4 Auguſt. lib. 1 de pecca. merit. & remiſ. & in aliis libris cõtra Pelagia. Hierony. epiſt ad Letã Cypr. epiſt. 8. lib. 3. Irinæus li. 2. cap. 39. Origenes in c. 6. epiſt. ad Roman.

5 Tertull. in lib de pœnitentia. Cypr. epiſt. 2. l. 4. Ambroſ. in lib. de pœnitentia. Dionyſ. ad Demoph. 6. Dionyſ. Areop de eccl. Hierarch parte 1 & 3. Iuſtinus Apolo. 2. Baſil. de Spirituſancto cap. 27. 7 Chryſ. ho. 20. in epiſt. ad Epheſ. Ambroſ. de iis qui myſteriis initiantur cap. 9. Auguſt. in pſal. 109. 8 Cypr. ſer. de cœna. Cyrill. Hieroſ. Catech. 4. Greg. Nyſſen. in Catech. maiori. cap. 37. Euſeb. Emiſſ. ho. 5. de Paſcha. Ambr. in l. de Sacram. et iis qui myſt. init. Chryſ. ho. 60 et 61. ad pop. Antio.

bus,& exemplis aliiſque rationibus declarauerunt Chriſtum verè ibi eſſe præſenté tam clarè quàm Theologus aliquis id vnquam fecit poſt hæreſin excitatá à Berengario aut Caroloſtadio. [9] Quocirca eam adorandam docuerunt, & cum ſumma ſanctitate tractandá, [10] nec Sancta eſſe niſi ſanctis danda. Atq; adeò tam nota fuit eorũ ſententia Chriſtianorum de hoc ſacraméto, [11] vt pagani eos dicerent carnes humanas deuorare & Thyeſteis vti cœnis, & Cererem ac Liberum colere; propter certitudinem nimirum ſententiæ, quam habebant de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, quã certum erat eos ſumere in ſuis conuẽtibus. [12] Quinimo & ex veritate Euchariſtiæ apud omnes cõfirmatiſſima Patres alias hæreſes confutauerunt. Et ſanè ſi omnium veterũ ſcripta, & primitiuæ eccleſiæ ritus & obſeruationes circa hoc ſacramentũ conſiderare velimus, cõperiemus eam nobiſcum omninò ſentire. [13] Sed nónne & martyrum temporibus hoc ſacramentum delatum fuit ad ægrotos? Nec vllus vnquam tam ſanctus extitit, qui

9 *Baſil. de Spiritu ſancto ca. 27. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſancto. cap. 12. Auguſt. in pſal. 98. Chryſoſt. ho. 24 in 1. ad Corinth.*

10 *Chryſoſt. ho. 17. in epiſto. ad Hebr.*

11 *Euſeb lib. 4. hiſto. Eccleſ. cap. 8. & lib. 5. cap. 2. Auguſt. lib. 20. contra Fauſt. cap. 19.*

12 *Tertul. lib de reſurrectione carnis & lib. 5. cõtra Marci. Irinæus li. 4. cap. 35. & lib. 5. Ignatius & Amphilochius apud Theodo. lib 2. Polymorphi. Hilar. lib. 8. de Trinit. Cyrillus lib. 11. in Ioannem. cap. 26. Concil. Epheſ. & Alexand. Cyrill. de recta fide ad reginas. Leo epiſt. 23. Epiphanius lib. Ancoratus,*

13 *Iuſtin. Apol. 2. Beda in mart. de Lucia. Concil. Nic. can. 12.*

qui huius Sacramenti ſolatio deſtitutus, libenter ex hoc ſeculo commigraſſet, adeò vt nec quemquam etiam pœnitentium (qui ab Euchariſtiæ ſumptione ſuſpenſi erant) in mortis diſcrimine, hoc ſacramento, vtpote Chriſtianorum viatico, priuandum eſſe voluerit antiquitas. [14] Quis etiam negare queat, quin Patres huius ſacramenti celebrationem habuerint pro vero ſacrificio; & ad id peragendum templa & altaria conſtruxerint, eiſdem prope vtentes precibus & cæremoniis, quibus adhuc hodie in miſſæ ſacrificio vtimur? Quin & de ſacramento [15] ordinis, & [16] confirmationis aliiſque ſacramentis quæ fuerit priſcorũ ſententia, & quomodo ea tractauerint, quibúſue cæremoniis ea adminiſtrauerint, ſatis cõſtat. Nec vlli dubiũ eſſe poteſt, quin eorum doctrina adamuſſim cum noſtra conueniat. Sed quid dicam de oratione pro defunctis, de inuocatione & veneratione ſanctorum; de vſu reliquiarum & imaginum? nónne hæc omnia in Eccleſia fuere vſurpata iam inde ab Apoſtolorũ temporibus? An poterit quiſquam ætatem aliquam demonſtrare intra primos quadringentos annos, in qua Chriſtiani marty-

14 Martialis in epiſt ad Burdegalẽſes. Iuſtinus in dialogo contra Triphonẽ. Irinæus lib. 4 c. 32. Cypr epiſtola 2 lib. 3. Aug li. 18. de Ciuitate Dei c. 35. Diony. de eccle. Hierarch. Clemẽs lib. 6. & 8. Apoſt. Cõſtit. Iacobus, Baſi. Chryſ. in Liturgiis.

15 Ignatius epiſtola ad Antioch. Augu. lib. 2. contra lit. Petil. cap. 13. & li. 1 de baptiſ. contra Donatiſt. c. 1.

16 Clemens, Vrbanus, Fabianus, Euſebius Melchiades, Pontifices & mart. in ſuis epiſtolis. Auguſt. lib. 2 cõtra literas Petil. cap. 104.

[17] martyrum reliquias in honore nõ habuerint? vel pro [18] defunctis deprecati non ſint, vel [19] imagines non habuerint? Quid? nónne & ipſi ad [20] orandũ vſi ſunt Eccleſiis? [21] & verſus Orientem à priſcis temporibus voluere preces eſſe fundendas? Quid quod omnes [22] ieiuniũ obſeruauere Quadrageſimale, & ſicut diem Dominicũ [23] ita & præſcriptas habuere ferias. Semper etiã Eccleſia habuit ſuas [24] virgines, & [25] clericos ac Sacerdotes, à reliquis diſtinctos, qui Deo fuere conſecrati, & Eccleſiæ miniſterio peculiariter addicti. Sed quid multis opus eſt? Cùm hæc & huiuſmodi ſupra commemorata multaque alia quæ in medium adferre nimis prolixum foret, omnes Chriſticolæ iam ab initio cœptę religionis Chriſtianæ continuo obſeruauerint; eo modo Deo ſeruientes, in hac religione tot tormenta, tot perſecutiones ſuſtinue-

b

17 *Euſeb. lib. 4. hiſt. eccleſ. c. 15. & lib. 8. cap. 6. Hierony. cõt. Vigilant. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei.*

18 *Diony. de eccleſ. Hierarc. cap. 7. Cypr. epiſt. 9. li. 1. Chryſoſt. ho. 69 ad populũ Antioch. Auguſt. libr. de cura pro mortuis cap. 1.*

19 *Euſeb. lib. 7. cap. 18 Nicepho. lib. 6 ca. 41. Concil. 2. Nic. Actio. 2.*

20 *Tertullia. in Apologetico aduerſus Gẽ.*

tes. Euſeb. lib. 2 hiſtor eccleſ. cap 17. & lib. 9. cap 9 Ambroſ. lib. 5. in Lucam. 21 *Baſil de Spiritu ſancto cap. 27. Iuſtinus in quæſtio. 118. Origenes ho. 5. in Numeros,* 22 *Ignatius in epiſt ad Philippen. Euſeb. lib. 2. hiſtor Eccleſ cap 17. Baſil orat. 2 de ieiunio. Hierony epiſtola ad Marcellam.* 23 *Auguſtinus epiſt. 118. cap 1.* 24 *Baſil. lib. de vera virgini ate. Ambroſ. li de virginibus. Auguſt. lib. de S. virginitate. Epiphanius hæreſi Valeſiorum. Hierony. libris contra Iouinianum & aliis tract. lib 7 hiſto tripart. cap. 4.* 25 *Tertull. lib. de præſcript. hæret Ignatius in epiſtola ad Antioch. Hierony epiſtola ad Neopotianum. Concil. 4. Carthaginenſe.*

nuerint,ad hanc confirmandam tot miracula ediderit diuina bonitas: Ecquis poterit negare eos benefacere, qui cum eo Sanctorum cœtu Deo inſeruire cupiunt,& ad exemplũ eorum vitã ſuam inſtituere? Si enim tunc veritas promulgata & in pectoribus hominum plantata nõ fuit:ad quid Chriſtus mortuus eſt? Cur miſit ſpiritũ qui doceret omnẽ veritatem? Ad quid prędicauerunt Apoſtoli? An vt homines ab vno errore ad alium transferrẽt? Sed quomodo Apoſtoli gentium ritibus & Iudæorum ſuperſtitionibus reſtiterint, ex eorũ ſcriptis ſatis euidens eſt. Nec dubium, quin eorum veſtigiis inhæſerint ipſorum ſucceſſores, totaque Eccleſia martyrum cruore rubicunda. Ergo cũ ex Dionyſio, Clemente, Ignatio, Irinæo, Tertulliano, Iuſtino, Origene, Euſebio, Athanaſio, Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino, innumeriſq; aliis patribus & etiam ex hiſtoriarum monumẽtis & quatuor primis cõciliis generalibus conſtet eam eſſe veterem ab Apoſtolis & ab apoſtolicis viris confirmatã religionem, in qua nos Catholici verſamur: nemo ægrè ferre debet eam nos defendere & in ea cupere perſeuerare. Hoc enim apertè profi-

profiteor me velle adhærere ei doctrinæ quá Eccleſia tam verbo quàm opere profeſſa eſt intra primos quadringentos annos noſtræ redemptionis. Si enim ea nō fuit Chriſti Eccleſia; nulla vnquam fuit nec erit Eccleſia. Si ea non fuit vera religio; nullá poteris mihi demōſtrare aliam. Si illi ſancti viri nō ingreſſi ſunt paradiſum; vereor vt quiſquam eò peruenire poſſit. Sed cū hæc ita ſe habeant: ſatis ſuperq; admirari nequeo quoſdá eò veniſſe cæcitatis, vt nos à ſocietate Sanctorū in colluuiē priſcorum velint deturbare hæreticorum. *Secunda ratio.* Quis enim inficias ire audeat Manichæos, Pelagianos, Nouatianos, Donatiſtas, & id genus alios fuiſſe veritatis inimicos, & iam olim hæreſeos infamia notatos; eosq; habuiſſe partes & Synagogas ſuas, quas contra Chriſti ſponſam veterem & Catholicam Eccleſiam erexere? Quis ergo mihi perſuadebit vt contempto Cornelio & Cypriano martyribus ſanctis & veræ Eccleſiæ defenſoribus, cùm Nouato eorum inimico & hoſte Catholicæ doctrinæ negem ſacramentum pœnitentiæ? Quis obſecro me adiget eò inſaniæ, vt poſthabito Chryſoſtomo, Auguſtino, Hieronymo, & reliquis præcedentis adhuc

temporis Eccleſiæ præfectis,conſentiam cum Manichæis peſtilentiſſimis hæreticis non eſſe liberum arbitrium? Auguſtinus omnium iudicio diligentiſſimus fuit ſuo ſeculo ſcripturarum indagator, & maximus veritatis aſſertor,qui pro tota Eccleſia ſtetit contra fidei inimicos:& quomodo in animum meum inducam, vt reiecta eius & totius veteris Eccleſiæ doctrina adhæream Pelagianis, & cum eis aſſeram paruulos Chriſtianorum ſanctos naſci nulli peccato obnoxios, ac proinde baptiſmum eis minimè eſſe neceſſariū? Quid de Donatiſtis, Arrianis, Iouinianis, Vigilātianis,& id genus aliis dicam? quos ſancti viri Epiphanius,Hieronymus, Auguſtinus, & ſimiles impugnarunt, totaq; Eccleſia condemnauit. An operæpretium me facturum putabis & opus quod dignum ſit Chriſtiano homine,ſi eorum numero me addicam, & cum eis contra Eccleſiā veterem chriſma contemnam,altaria confringam, reliquias ſacras abijciā, preces ſanctorum ieiuniorumq; præſcriptos dies,& orationem ac ſacrificium pro defunctis,pro nihilo ducam?Ergo cum Cyprianū,Chryſoſtomum,Hieronymum, Auguſtinum & ſimiles patres; tota poſteritas pro viris

Apo-

Apoſtolicis ſemper habuerit,& doctrina quam ipſi defendendam ſuſceperũt fuerit totius Eccleſiæ doctrina & hac ratione eorum ſcripta,& monumenta per diuinam prouidentiam in hunc vſq; diem conſeruata ſint, & ex iis omnes teſtimonia accipiant etiã aduerſarij noſtri : contrà verò Nouatum , Pelagium , Manichæum, Iouinianum , Donatum , Vigilantiũ ,& id genus homines omnis ætas ſemper habuerit pro verbi Dei adulteratoribus , pro fidei & veritatis inimicis; cum eorum memoria condemnata ſit, eorum ſcripta abolita & extincta,nullus hiſtoriographorum de eis niſi vt de hæreticis mentionem faciat; cùm,inquam, hæc certa & indubitata ſint:nemo iuſtus rerum æſtimator poterit quemquã Catholicorum reprehendere , quod hiſce nouatoribus obſcuris & condẽnatis hominibus,contra ſuam conſcientiam nolit adſtipulari, ſed malit ſe ſtare ab iis qui fuere lumina & colũnæ Eccleſiæ : quodque nolit Manichæus aut Pelagianus haberi ſed Chriſtianus,nec velit in partem ſecedere hæreticorum ſed cum toto corpore perſeuerare Catholicus . Certè nihil hic peccati eſt , imò conſtantia ſumma laude digna,& ſynceri animi iudiciũ.

Tertia ratio. Prętcrea, humaniſſimi auditores, nõ mediocriter animum noſtrum mouere debet, quod nos, qui in religione veteris Eccleſiæ & in ea qua martyres Deo ſeruiere permanere cupimus, certis nitamur diuinis promiſſionibus, & falli non
Eſaia 2. poſſimus. Credimus prophetiæ Eſaiæ de Chriſti gratia vaticinantis, quod omnes gentes fluent ad montem domus Dei, & docebit nos vias ſuas. Et eleuabitur (inquit) Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur. Hæc eſt illa
Tob. 14. dies de qua Tobias loquitur: Relinquẽt gentes idola ſua. & de hoc tempore pro-
Zachar. 13. phetat Zacharias, inquiens; In die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorũ de terra, & non memo-
Cap. 30. rabuntur vltrà. Sic & apud Ezechielem, Diſperdam, inquit Dominus, ſimulacra, & ceſſare faciam idola. Iam ergo, cum Dominus verax ſit in ſuis promiſſis, An dubitabit quiſpiam ab Eccleſia Chriſti, per prædicationẽ Apoſtolorum & eorũ ſucceſſorum, omnem idololatriã & ſuperſtitionẽ fuiſſe ſublatam? Et quorſum
Geneſ. 12. & 22. alioquin illa magnifica promiſſio Abrahæ dicta & toties in ſcripturis inculcata;
Galat. 3. In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes? Quæ enim eſt illa benedictio ſi gẽtes

nondum veram fidē ſuſceperint;ſine qua impoſſibile eſt placere aut ſeruire Deo? *Hebr. 11.* Et quid eſt quod Chriſtus dicit ſuis Apoſtolis;Euntes in mundum vniuerſum, *Matth. 28.* prædicate euangelium omni creaturæ, *Mar. 16.* docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis? &,mittā vobis ſpiritum *Ioannis 16.* veritatis ,qui docebit vos omnē veritatem : ſi loco veritatis falſa pleraq; maiores noſtros docuerint , vel certè veritatē multis ſuperſtitionibus & vanitatibus, contaminauerint;atq; adeo ab vna idololatria ad aliā abduxerint, vt videantur miſſi fuiſſe non ad rem ſed ad nomē mutandum?quod cogitare execrabile & abſurdiſſimū eſt, nedum dicere vel aſſeuerare. Itaque certū eſt Apoſtolos Chriſti mādato obſecutos vbiq; per ſe & ſuos diſcipulos euangeliū prędicaſſe.ná,vt Paulus inquit,In omnem terrá exiuit ſonus *Roman. 10* eorum.& non prædicauerunt niſi omnē veritatē,quā à Spiritu ſancto acceperant, & purum ac ſyncerū Euangeliū nulli ſuperſtitioni aut idololatriæ immixtū. At- *Quarta ratio* qui illud Euangeliū non potuit defeciſſe primis trecentis aut quadringētis annis, quando demū plantatū eſt & robur accepit. & quid dico de quadringentis annis? cùm Chriſtus promiſerit ſe cū Apoſtolis

& ipſorum ſucceſſoribus manſurum in
Matth. 28. æternum, & daturum ipſis ſpiritum ſan-
Actor. 1. ctum non ad quadringentos annos, ſed
qui manſurus eſſet cum eis in æternum:
Ioannis 14. & de Eccleſia ſcriptum ſit; Sanctum Do-
Hiere. 31. mini non euelletur & non deſtruetur vl-
Cap. 59. tra in perpetuum. & apud Eſaiam; Hoc
fœdus meum cum eis dicit Dominus,
ſpiritus meus qui eſt in te, & verba mea
quæ poſui in ore tuo nõ recedent de ore
tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Domi-
nus, à modo vſque in ſempiternũ. Atque
ita hæc veritas obſcurari non potuit, nec
vllis perſecutionibus, nec vllis philoſo-
phorum aut hæreticorum doctrinis. ob-
Matth. 16. ſtat enim Chriſti promiſſio, qui ait: Et
portæ inferi non præualebunt aduerſus
eam. Et dabo vobis os (inquit) & ſapiẽn-
Luce 21. tiam cui non poterunt reſiſtere omnes
aduerſarij veſtri. Verùm nec hic claudi-
tur diuina miſericordia: ſed inſuper pro-
miſit quod aduerſus omnes errores, da-
ret nobis prophetas & doctores ad con-
firmationem electorum, ne circumfera-
Epheſ. 4. mur velut paruuli omni vento doctrinæ
Cap. 64. fluctuantes. &, vt eſt apud Eſaiam: Super
muros Hieruſalem conſtituit cuſtodes,
qui tota die & tota nocte in perpetuum
non tacebũt, & de omnibus falſis doctri-
nis Ec-

nis Eccleſiam admonebũt. An ergo credibile eſt ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſenſim vna cum vera doctrina abominandos errores ſerpſiſſe in animas Chriſtianorum, nec vllum extitiſſe prophetam aut virum ſanctum diuino ſpiritu præditum, qui de his populum Dei admoneret? niſi Manichæum, Nouatum aut Pelagium prophetas eſſe velis. Quin cõtra omnes ſancti martyres, omnes doctores, omnes pij in hac religione defuncti ſunt, abſque vllo remorſu conſcientiæ, eamq́; & morte & ſancta vita, & miraculis, confirmauere. An exiſtimamus hactenus neminem fuiſſe qui Deum ex animo quæſierit? Abſit, abſit, nos mali & peruerſi: at illi ſancti & iuſti & diuino ſpiritu fuere præditi. Conuerte, quæſo, oculos ad eos qui hãc noſtram doctrinam non modo in hiſce inferioribus regionibus, ſed & in toto Chriſtiano orbe prædicauerunt: circumſpice eorum mores, expende ipſorum vitam, & vide an aliud habuerint præ oculis quã Deum, veritatem, & proximi ſalutem? Et quid eos, obſecro, mouere potuit, vt verbum Dei corrumperent? An ambitio & honores? Atqui ſeculo cum omnibus honoribus & pompis huius vitæ

Quinta ratio (beside "Quin cõtra omnes ſancti martyres")

Sexta ratio (beside "& diuino ſpiritu fuere præditi. Conuer-")

renuntiauerunt. An diuitiæ? ſed cum Chriſto paupertatem ſectati ſunt, etiam abiectis propriis facultatibus. An fortè gaſtrimargia & carnis deliciæ? verùm vita eorũ non fuit niſi abſtinentia & continua carnis maceratio. An verò in cauſa fuit inſcitia & ignorantia? ſed omnem ſuam ætatem in ſacris literis triuerũt, in omni ſobrietate & caſtitate degẽtes, aſſiduisq; precibus à Domino ſpiritũ veritatis efflagitantes. Cõſidera quoq; quod ex ſuo cerebro nullam nouã doctrinam nobis cuderint; ſed maiorũ ſemitã ingreſſi eam quam inuenere nobis prædicauere veritatẽ. Animaduerte etiam & pectori tuo inſere firmiter, neminẽ extitiſſe qui eos de errore aut corrupta doctrina arguerit: ſed cũ toto Eccleſiæ corpore conſenſere, cumque omnibus totius orbis Chriſtianis Epiſcopis & verbi Dei miniſtris habuere communionẽ. Verum cõtrà ſi quis ſecũ abſque odio & affectu diligenter expẽdat quomodo & per quos hiſce deprauatiſſimis tẽporibus, iam poſt octingẽtos aut noningẽtos annos, mutationes in religione acciderint: an ne facilè perſpiciet eas non à ſancto ſed maligno ſpiritu eſſe profectas, vnde & omnes hæreſes pullularunt? Quid enim mouit

Lu-

Lutherum, vt Germaniã religionis nouitate perturbaret, & ea quæ benè priùs pro Eccleſia ſcripſerat poſtea malè retractaret? Anne ambitio & carnis voluptas? Anne & ſeipſo quotidie deterior effectus eſt? Quid, quæſo, in animum induxit Henrici Regis Angliæ, vt florentiſſimum ſuum regnũ tot erroribus inuolueret? Anne pruritus libidinis? & cur ei magis credã in omnes bonos ſæuienti & apertè tyrãniſanti quàm cum ſumma morum grauitate & temperantia contra Lutherum defendenti doctrinã ſeptem Eccleſiæ Sacramentorum? Quomodo autem & in Francia & in Belgica mutatio religionis contigerit omnes probè nôſtis, auditores. neque enim noſtrũ eſt nec huius temporis aliorũ mores & vitam indagare: cùm omnibus certum ſit variis affectibus agitatos homines eam hic & alibi plantare velle religionem, quam prius oppugnauere, & quam à veteribus hæreſiarchis acceperunt: qui quotidie in peius proficientes ſua vita & corrupto ſpiritu ſatis monent potius ipſis credendum fuiſſe cùm pietatem ſectarentur, quã nunc cum vna cum pietate veritatem & proprium deſeruerunt inſtitutum. Omnibus ergo hiſce ſecum

ipſis pugnantibus, & in dies, neſcio propter quid, religionem mutantibus, penitus reiectis & procul à nobis remotis ſequimur patres noſtros, viros graues, pios, doctos & ſanctos, diuinoque ſpiritu præditos omnique exceptione maiores, & firmiter adhæremus diuinis promiſſionibus. Credimus, inquam, Deo, qui in Chriſto omnibus gentibus benedixit, & per Chriſtum omnē idololatriā deſtruxit. Credimus Chriſto, qui miſſo ſpiritu ſancto per Apoſtolos ſuos & eorum ſucceſſores omnem nos docuit veritatem. Scimus diuinas promiſſiones eſſe certas & immutabiles, quibus perpetuo huic veritati adſiſtet, nec vllis erroribus eam ſinet contaminari. & ideo à veritate ſemel ſuſcepta, à religione per Apoſtolos prædicata, & quam primitiua Eccleſia ſuſcepit, nec poſſumus nec volumus recedere. Plurimum etiam in hac fidei veritate nos cōfirmat verbum Chriſti, quo ait; Quod euangelium regni prædicabitur in vniuerſo orbe in teſtimoniū omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Quibus verbis oſtendit benedictionem per ipſum, qui ſemen Abrahæ eſt, promiſſam omnibus gentibus in hoc impletum iri ante mundi conſummationem

[margin: ...ptima ra-...o. | ...atth. 24.]

tionem & extremũ iudicium; quod eis in toto orbe diſperſis prædicabitur euangelium verum, per quod regnum cæleſte & benedictionem æternam conſequantur, atque ita iuxta prophetiam Eſaiæ ad Deum veniant, & viam eius cognoſcant. *Eſaie 2.* Cùm ergo videamus hãc promiſſionem compleri non niſi per noſtræ religionis prædicationem: quis dubitabit eam veram eſſe religionem & ad euangelium regni pertinere? Hæc enim prædicata eſt in his regionibus, vt diximus, ante octingentos aut noningentos annos per S. Bonifacium & Liuinũ martyres, per Eligium, Amandum, VVillebrordum & id genus alios viros longe ſanctiſſimos, qui & vitæ ſanctitate & miraculis clari, vt diximus, eam nobis prædicauere religionẽ, quæ toto tũc terrarũ orbe vigebat, in qua & pie omnes defuncti ſunt. Hæc religio prædicata eſt in Scotia, Hibernia, Anglia, Germania, Hungaria, Polonia, Lituania & in omnibus barbaris nationibus. Qua enim hiſtoria proditũ eſt, quod Manichæus, Vigilantius, Pelagius, Iouinianus, aut eorũ ſectatores, Lutherus & Caluinus, eorúmve diſcipuli aliquam, ne dicam regionem aut ciuitatẽ, ſed vel viculum

vnum

vnum à paganiſmo ad Chriſtianiſmum conuerterint? nullus certè eorum Chriſtum vſquam plantauit; ſed omnes fuere noſtræ religionis homines. nec ſanè poſſumus ſatis mirari diuinam prouidentiam, qua factum eſt vt per Hiſpanos & Luſitanos viros Catholicos, nouus orbis Occidentalis & India Orientalis ad Chriſtum conuerterentur; qui magna pars ſunt mundi. Atque ita nullam aliam eis prædicare voluit Dominus niſi veram religionem; quæ prædicata fuit omnibus aliis nationibus; in qua & vſque hodie perſeueramus; vt adimpleret quod promiſerat, & erga omnes nationes ſuam oſtenderet bonitatẽ. Quamobrem ſicut Eccleſia inſultat Iudæis, quod videntes in Chriſto omnia compleri quæ per prophetas dicta ſunt adhuc tamẽ obſtinati in ſuo errore permaneant: ita etiam omnibus noſtris aduerſariis bonam mentem precari poſſumus, vt aperiant oculos & videant ea quæ prædixere Prophetæ in nulla quàm noſtra compleri religione; & ideo nullam aliam expectandam eſſe; & ab ea minimè recedendum. nam verum eſt, quod ait Chriſtus, bonum eſſe ſemen, quod ſeminat filius hominis, quod om-

nes

nes gentes primò ſuſcepere: at poſtea *Matth. 13.*
inimicus homo zizania ſuperſeminat.
Bonum ergo ſemen retinendum eſt. Etſi (vt ait Paulus) veniret angelus de cælo qui nobis aliud adnunciaret, anathema eſſe deberet. Nec ſanè ferenda, humaniſſimi auditores, blaſphemia illa, qua aiunt omnes noſtros maiores in tenebris hactenus verſatos eſſe & veritatem ignoraſſe: quaſi diuina bonitas & miſericordia patiatur ſuos cultores per mille ferè quingentos annos errorum abominationibus inuolui; & ſanguis Chriſti fuerit in hanc vſque ætatem inefficax, & iam demum oſtenderit ſuam energiam in vno angulo mundi; & Spiritus ſanctus latuerit in hoc vſque ſeculum, & iam demum pectoribus hominum affulſerit? Apage cum iſto fœdo & abſurdo deliramento, quo diuinæ bonitati & veritati contumeliam ſtruis. Scriptura enim nobis denuntiat prima ſecula, quibus maiores noſtri iam inde ab initio ſeruiere Chriſto, fuiſſe lucis & in eis Dominum voluiſſe omnem cæcitatem è pectoribus hominum depellere: at ſecula nouiſſima, ad quæ nos deuenimus, fore tenebrarum & errorum.

Galat. 1.

Obſeruatio.

Quid

Quid enim de Chriſti prædicatione dicit Eſaias? Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis; venite ambulemus in lumine Dei noſtri. Et Paulus, Tempora huius ignorantiæ deſpiciens Deus nũc annunciat hominibus vt vbique pœnitentiam agant: & alibi; Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Sed quid de hoc nouiſſimo ſeculo? Surgent (inquit) Chriſtus multi Pſeudoprophetæ & ſeducent multos: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. & Paulus; Spiritus (inquit) manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide. & Petrus; Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores. & rurſum; Chriſtus filius hominis veniẽs putas inueniet fidẽ in terra? Deſinant ergo, deſinant, ab huiuſcemodi blaſphemiis, & à talibus obloquiis abſtineant. Certum eſt & indubitatum ſi permaneamus in religione quæ fuit in primitiua Eccleſia, errare nulla ratione nos poſſe. Quamobrẽ, humaniſſ. auditores, cùm, vt audiuiſtis, nos Catholici Dei verbo vnice addicti ſimus, & ab eo debite intellecto tota noſtra

Cap. 16. *Actor. 17.* *2. Cor. 6.* *Matth. 24.* *1. Timoth. 4.* *2. Timoth. 3.* *2. Pet. 3.* *Epiſtola Can. Iudæ.* *Lucæ 18.* *Epilogus primæ partis quæ bipertita eſt.*

ſtra religio dependeat: cùm vnũ Deum colamus, & vnum Chriſtum per omnia noſtræ religionis myſteria prædicemus: cùm omnia noſtra tendant ad ſpiritalem Dei cultum, & charitatem commendẽt, qua ex toto corde Deo ſeruiamus, nihilque admittamus quod vel in minimo cum ſcriptura pugnet: cur accuſamur tanquam idololatræ & impij & ſceleſti? Præterea cum conformemus nos monitis & inſtitutis primitiuæ Eccleſiæ, & eo modo cupiamus ſeruire Deo quo martyres & viri ſancti fecere: cùm omnes veteres hæreticos abominemur; noſtraque religio innitatur diuinis promiſſionibus, ſecundum quas falli non poſſumus, & à viris ſanctiſsimis eam acceperimus: Propheticaque vaticinia ac benedictionem promiſſam gẽtibus videamus in ea compleri; ſcripturaque nos moneat vt imitemur, non quod nunc innouatũ ſed quod ab initio ſemper fuit obſeruatum: an mirum cuiquam videbitur quod deſideremus in ea ſemel accepta religione permanere? an aliquis ideo nobis erit moleſtus, quod non amplectamur aliquam innouationem; præſertim cum nulli alij religioni nomen dederimus, ſed in hac nati & educati ſimus, in eaque omnes

noſtri maiores piè vni Deo verò per
ecunda pars orationis. Chriſtũ ſeruierint? Verùm, benigni auditores, cũ innumeræ ſint rationes quibus oſtendere poſſum & religionem noſtram purã eſſe & ab omni ſuperſtitione alienam & ſolidam ac firmã; adeò vt in nullius ſit poteſtate nos ab ea amouere: hiſce paucis in medium allatis, accedamus alterã noſtræ orationis partem; declaremusq; inanem ac peruicacem eſſe aduerſariorum noſtrorũ querelam, qua propter abuſus (vt ipſi volunt) veram religionem non purgare ſed penitus extirpare contendunt. Dicis itaq; abuſus eſſe tollendos & reformationem prætendis. Atqui id factum eſt per Concilium Tridentinum. &, an, obſecro, idcirco totam religionem reijcies, & nouam legem ex tuo arbitratu ſtatues? An triticum reijcis propter paleam? an oleum propter amurcam? Neque enim propter malum bona reijcienda, ſed potius mala propter bona tolerãda. Fateor abuſus fuiſſe. eos Eccleſia tecũ vult amoueri: ſed interim maneat ſubſtantia integra. Admitto reformationem: ſed omnibus modis recuſo & deteſtor totius religionis deformationem. Si enim reformare vis: formam habeas oportet ad quam reformes, quod defor-

deformatum exiſtimas. nec nouam tibi formã proponere licitũ eſt;ſed formam à Chriſto & Apoſtolis eorumq́; ſucceſſoribus ſemel datã intueri & imitari debes. Neq; enim qui mores hominum ad formam & præſcriptũ legis vult corrigere, poteſtatem ideo habet ad nouã condendam legem. vnam enim agnoſcimus legem quam Chriſtus nobis tulit, & Apoſtoli atq; ſucceſſores eorũ nobis promulgarunt.ad eam reformentur omnia,non ad tuam ideã, quam pro tuo ingenio tibi fingis.Eccleſia enim ſemel fundata eſt,& multorũ ſanguine plurimisq́; miraculis variisq́; donis Spiritus ſancti ſatis corroborata. non opus eſt tu iacias nouũ fundamentum. fundamentũ enim nemo a- *1. Cor. 3.*
liud poteſt ponere præter id quod poſitũ
eſt.Regnum Chriſti perpetuũ eſt,& ver- *Luce 1.*
bum eius manet in æternũ. nec poſt no- *Eſa. 40.*
uam legem aliã legem expectare debe- *1. Pet. 1.*
mus,ſed iudiciũ Domini extremũ. Ergo ſi reformare velis,intueri oportet exẽplar veteris Eccleſiæ,& in eo acquieſcendum eſt,niſi velis ſcripturã totam peruertere, & poſt Chriſtum vna cum Machemeto nouam legem ex tuo cerebro fabricare.
Si ergo quereris multos abuſos ſuperſti- *Obiectio prima.*
tioſe ſigno crucis: noli propterea illud

malum dicere & è medio tollere, quo omnes pij ad gloriam Chriſti iam inde ab Apoſtolorum temporibus tam bene vſi ſunt; ſed inſtrue & effice vt omnes eo bene vtantur. Accuſas quorundam mores, quod baptiſmi cæremoniis & aqua baptiſmali non rectè vtantur, nec ad populi captum & eruditioné ea exerceant, & hinc clamitas baptiſmum ſuperſtitionibus inuolui: ſed tu id ſuſpicaris de proximo; ego aliud iudico. & eſto; ſit ita: cura vt ſi quid à quoquam minus rectè fiat emédetur; ſed noli aſpernari id quod totus orbis ex inſtitutione Apoſtolica ſemper obſeruauit. neque enim omnes maiores noſtros præ te inſipientes æſtimare debes, quaſi hæc ſine cauſa baptiſmo adhibuerint. Mouet te quod Euchariſtiæ Sacramétum circumferatur, quod arcanum myſterium hoc pacto prophanis prodatur, quod patres ſub alto ſilentio in magna veneratione ſemper habuere, nec antiquitus id fieri ſolitum ſit. Sed an quia id tibi diſplicet, quod tamen pia cauſa & rectè ab Eccleſia adulta inſtitutum eſt, cum naſcétis tempora non perinde ferrent: ideo ſacramétum ſummum & preſtantiſsimum & quod omné ingenij captum excedit, minoris facere debes

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

debes quam manna, aut panem quondam catechumenis dari ſolitum; & totius Chriſtianitatis myſterium prophanare? Vidiſti fortaſſe minus reuerenter ægrotis Euchariſtiam adminiſtrari: an idcirco eam ipſis tollis, quam omnes Chriſtiani ex hac vita commigrãtes pro viatico ſemper accepere: O tempora! O mores! Multis clamoribus exagitas quòd Eccleſia Romana, contra Chriſti inſtitutionem & Eccleſiæ veteris conſuetudinem, vt dicis, ſacrã ſynaxim adminiſtret ſub altera tantum ſpecie: atqui non conſideras nuſquã extare Chriſti aut Apoſtolorũ præceptum de ſumptione ſub vna vel vtraque ſpecie; ſed id relictum eſſe Eccleſiæ diſpoſitioni. Si etiam mores antiquæ Eccleſiæ benè perſcrutaueris: deprehenderes iam olim in primitiua Eccleſia tam ſub vna quàm ſub vtraque ſpecie ſacramẽtum Euchariſtiæ fuiſſe adminiſtratum. Denique, ſi affectum & odium deponeres, intelligeres Eccleſiam quorundam hominũ improbitate & erroribus coactam ad ferendum decretum de communione ſub altera ſpecie non ita veterem ademiſſe libertatem, quin ſi natio aliqua vel regio abſque errore & ſuperſtitione vtramq;

Aug. lib. 3. de pecca. merit. & remiſ. cap. 26.

Quarta obiectio.

Quinta obiectio.

1. Cor. 11.

Ambr. in ora. funebri ſuper obitu fratris ſui Satyri.

Nicepho. lib. 3. cap. 7.

Can. 52. ſyn. 6. general. ſeu πενθέκτης.

Vide Gropperum de communione ſub altera ſpecie.

ſpeciem depoſcat, eam reſtitui poſſe cõcedat, vt è conciliis Baſilienſi & Tridentino cunctis eſt manifeſtum. Quare nec in hac parte quicquam eſt, ob quod matrem tuam Eccleſiam deſeras, vſumq́ue tam ſacroſancti myſterij condemnes: niſi cum Luthero, gigantæo ſupercilio & irreconciliabili odio, dicas ſi vtramque ſpeciem admittat Eccleſia te alteram tantum tuis præſcripturum.

Concil. Trident. Seſſ. 22 vide Ruard. in articulis Louanienſiũ articul. 15.

Luth. in lib. de formula Miſſæ, vt eſt apud Cochleum in Septicipite.

Sexta obiectio.

Animaduertis quoſdam non tam celebrare quam exercere miſſas, idq́ue ad quæſtum magis quam ad honorem & gloriam Dei: verum iſti malo occurſum eſt per Concilium Tridentinum. non eſt quod ideo miſſæ ſacrificium tollas, quod Chriſtus inſtituit, aut alium ritum Euchariſtiæ celebrandæ de nouo comminiſcaris. Preces illæ & ritus, quos declaramus tam in Græca quàm Latina Eccleſia ſemper fuiſſe vſitatos, retineantur, prout optimè ex præſcripto Concilij Tridentini iam omnia inſtaurauit Eccleſia Romana.

Seſſ. 2.

Septima obiectio.

Iactitas plenis buccis commoda & pericula quæ ex confeſſione quandoque proueniſſe dicis, ſed liuido oculo non vides eius commoda & vtilitates. At tu, ſi Chriſtianus es, cum omnibus viris bonis id

ago

age, vt tam confitens quam confeſſarius ſuum rectè officium faciant, & noli id tollere & condemnare, quo ſecundum Chriſti præſcriptum tota vetus Eccleſia ſemper vſa fuit. Aduerſariis quoque noſtris odioſa eſt ſacerdotum multitudo, exiſtimantque tunc demum ſe doctas & bellas habuiſſe conciones, quando quám maximè in Sacerdotum vitia inuecti ſunt, vt hoc modo ſacerdotium populi ludibrio exponant. Atqui, non quia multi coniugatorum coniugio abutuntur, ideo omnes coniugati mali ſunt. & licet olim pauciores fuerint, non mirum eſt nunc plures eſſe ſacerdotes, adeò late Chriſti lege dilatata, cùm vni templo Hieroſolymitano trigintiocto virorum milia deſeruierint. Et ſanè in veteri lege ac Apoſtolorum temporibus multi fuere mali ſacerdotes: nec tamen ideo quis dixerit ſacerdotium tunc fuiſſe malum: ita & nunc etſi quidam cum magno multorum ſcandalo turpiter viuant non tamen ideo fas eſt ſacerdotiũ extirpare; ſed orare noſtrũ eſt, tum vt Epiſcopi ad meſſem Domini colligendam bonos mittãt operarios, tum vt omnes ſedulo vitam ſuam emendent. Pluralitatem quoque bene-

Nona obiectio.

1. Parall. 23.

1. Reg. 2. & 4. Reg. 12. Eſa. 28. Ezechiel. 22. & 34. 1. Cor. 4. Phil. 1 & 2. Apocalyp. 3.

Decima obiectio.

beneficiorum aliaque ſimilia cum ſtomacho execrantur aduerſarij. Fateor ſane inde plurima mala religioné noſtram accepiſſe, & per huiuſmodi in contemptum abiiſſe Sacramenta; atque iſta antiquitati & æquitati repugnare. At huic malo ſæpius & nunc poſtremũ per concilium Tridentinum occurrit Eccleſia. nec ſanè debent propterea, quæ Eccleſiæ oblata ſunt, in alienos & prophanos vſus deperdere: ſed, ſi ſpiritu charitatis agitãtur, videát quomodo vetus Eccleſia bona Eccleſiaſtica diſtribuerit, & quid núc in Synodo Tridentina conſtitutum ſit: neque vendant & diſſipent ea quæ Deo & pauperibus donata ſunt; nec ea, quæ publica ſunt, faciant priuata, ſi quod ſpecimen pietatis aut reformationis præ ſe ferre velint, & non videri ſuis ſcriniis potius quam religioni conſulere. Quia etiam vides ex exequiis & funeralibus Eccleſiaſticos paſtores aliquantulum ſuſtentari, imaginaris eos ob id purgatorium & orationem pro defunctis commentos eſſe. Atqui, ſi id te male habet, aliunde ipſis de neceſſariis proſpicito, & noli ideo aſſerere orationem pro defunctis otioſam & vanam eſſe, quam ab Apoſtolis acceptam tota Eccleſia ſemper

Vndecima obiectio.

fre-

frequentauit. Inculcas nõnullos ſimpli- *Duodecima obiectio.*
ces imaginibus & ſtatuis abuſos fuiſſe;&
hic acutum cernis: ſed non vides quam
benè veteres eis ſint vſi, quam vtiliter
boni Chriſtiani adhuc eis vtãtur. & ideo
pius & ſanctus ille Gregorius non lau- *Li.7. Regiſt. epiſt. 109. ad Serenum epiſcopum Maſſilien. & lib. 9. epiſt. 9. ad eundem.*
dauit Epiſcopum Maſſilienſem quod
imagines ſuſtuliſſet; ſed relictis imagi-
nibus earum debitum vſum declarari
voluit. Magnis cachinnis recenſes tot
locis haberi particulas crucis Chriſti, &
lac D. Virginis: ſed non legiſti, quod S. *Decimatertia obiectio.*
Paulinus tam vetus autor ſcribit cruci *Paulinus epiſtola 11. ad Seuerum.*
Chriſti vim viuificam ineſſe, ita vt innu-
meris pœne hominum votis lignũ ſuum
commodet, & tamen detrimenta non
ſentiat, ac quaſi intacta permaneat quo-
tidie diuiduam ſumentibus & ſemper
totam venerantibus. Quod ſi verò vſpiã
aliquis fortaſſe error ſit: ideóne verũ li-
gnum crucis & lac Deiparæ matris con-
temnis; corporaque Hilarij, Martini, &
aliorum ſanctorum cremare debuiſti,
cùm reliquiæ martyrum iam inde ab
Apoſtolorum temporibus apud omnes
Chriſtianos in veneratione fuerint? An,
obſecro, ideo beatus Martinus omnes
reliquias ex Eccleſiis ſuſtulit, quia Spiri-
tu diuino falſas quaſdã reliquias depre-

ecimaquar obiectio. hendit, quas exuri iuſſit? Quantū etiam triumphum canunt apud miſeram plebem noſtri aduerſarij, quando varios peregrinationum abuſus recēſent? Attamē non idcirco peregrinationes malæ ſunt, quia aliquando nonnulli eis abuſi ſunt. quippe cum eis vſa fuerit cum magno
piſt. 137. fructu antiquitas, adeoq; ipſe Auguſtinus in ſcripturis verſatiſſimus & doctiſſimus, qui etiā certis rationibus eas de-
ecimaquin obiectio. fendit. Admodum odioſè monachorum & monialium vitia commemoras: ſed non ideo monachos & virgines, quos cum magno fructu ſemper Eccleſia habuit, amouere debes; verum hoc curare, vt illi qui ſe Deo deuouerint id faciant, quod ab eis Paulus requirit; vt in
.Corint. 7. .Timoth. 5. ieiuniis & vigiliis cum omni ſobrietate & caſtitate Deo ſeruiant, & pro Eccleſiæ ſalute noctes atque dies orent, & in laudibus Deo canendis perpetuo occu-
ecimaſexta biectio. pentur. Nec idcirco votorum obligationes nullæ ſunt, quia quidam apoſtatæ ſe quod vouerint perficere non poſſe cauſentur: cùm gratiam ſuam nemini neget Deus, nec poſſis vel minimum mandatorum Dei implere abſque ſingulari eius gratia. Quare, ſi votorum tollas obligationes, eadem ratione omnia man-

data

data Dei caſſa & inania effeceris. Ieiunia quoque improbant quidã, quod videant quoſdam pridie ieiuniorum ſeſe ingurgitare vt abſque moleſtia ieiunent, & ideo dicunt ieiunare nihil aliud eſſe quá ſobrie viuere. ſed, ſi ita pergãt, nihil tandem eorum quæ ſcriptura nobis cómendat reliquum facient, quin eodem pacto improbent & ſubuertant. Verum magni illi Sophi, dũ ex ſuo ingenio omnia ſtatuere volunt, faciũtne intelligẽdo vt nihil intelligant? dum etiá propter quorũdam abuſum è Sacramento matrimonij faciunt contractũ ciuilem, omnibusque feneſtram aperiunt vt iuxta Mahumetũ tot habeant quot alere poſſunt vxores. Si enim propter fugam vel adulterium fortaſſe effictum vel aliam neſcio quam cauſam tibi liceat aliam ducere coniugem: quidni etiam quando vxor tua diuturno morbo conflictatur, quando ad concubitum inutilis redditur, quando ſterilis eſt, & alias ſexcentas ob cauſas? aliud certe ſentiebãt Apoſtoli, inquientes; Si ſic eſt cauſa hominis cum vxore non expedit nubere: aliud ſentiebat tota Eccleſia tempore Hieronymi, quando Fabiola nobilis matrona publicam egit pœnitentiam, quod diuortio facto à

Decimaſeptima obiectio.

Decimaoctaua obiectio.

Matth.1[9]

In epitap Fabiolæ ad Oceanum

mari-

marito alij nupſiſſet. Itaq;, quemadmodum eum merito quis inſanire dixerit, qui propter maculam aut ſcabiem aliquam mox pedem aut manũ ſibi amputaret: ita etiam eos iure dixeris amentes & rationis expertes, qui propter illos qui abutuntur res ipſas ſublatas volunt. parum ſanè attente mihi legiſſe videntur
tth. 13. illud Chriſti: Sinite zizania creſcere vſque ad meſſem. ac proinde in area & regno Domini ſemper erunt zizania; & homines praui, qui lege & inſtitutis ac Sacramentis Domini abutẽtur. At dum ideo Sacramẽta & inſtituta Domini tollere volunt, fiunt meſſores inepti ac ſtolidi, & vna cum zizaniis triticum eradicant temere & incaſſum ac contra voluntatem Domini ipſius meſſis. Vt ergo hanc ſecundam orationis meæ partem concludam, humaniſſ. auditores, hoc eſt quod dico, hoc omnibus modis ſuſtineo, nec Luthero nec Caluino nec vlli mortalium fas eſſe propter abuſus, quos prętendunt, pro ſua imaginatione reformationem conſtituere; atque ita nouam erigere Eccleſiam, cuius exemplar nuſquam terrarum fuiſſe comperiatur, atque ita velut Vtopiam quandam è ſuo ingenio cõponere: ſed ſi quæ reformatio ad-

75

dmittenda eſt, eam fieri oportere ad inſtar veteris Eccleſiæ, quam Chriſtus per Apoſtolos fundauit, & de cuius ſanctitate nefas eſt dubitare; idque autoritate ſuperiorum: atque ita propter abuſus religionis ſubſtantiam minimè tollendam eſſe: ne, quod imperitis medicis accidit, dum corpori mederi volumus illud interimamus. Verùm, vt aliquid dicam de tertia orationis meæ parte, neminē exiſtimo tam rerum imperitum, qui propterea de religionis noſtræ integritate & ſoliditate ambigat, quod eam videat hic & aliis in locis multum labefactari, & planè deprimi. Etſi enim hic interire videatur, alibi tamen facit magna incrementa. Quemadmodum enim, dum veritas fidei apud Græcos cœpit laborare, magno cum fœnore ad plurimas Occidentis & Septētrionis regiones commigrauit: ita etiam dum hic incipit contemni & odio eſſe; à compluribus nationibus in nouo orbe & India ſuſcipitur. Et quid mirum hæc accidere apud nos? cùm Paulus dicat in nouiſſimis temporibus plurimos à fide diſceſſuros, qui prurientes auribus ſecundum ſua deſideria magiſtros ſibi coaceruabunt? &, vt inquit Chriſtus, quia abundabit iniquitas,

Tertia pars orationis.

Prima ratio.

Secunda ratio.

2. Timot. 4.

Luca 18. quitas, refrigeſcet charitas multorum. Nulla quoque ætate libera fuit veritas quin ſemper ſecũ ſuos habuerit inimicos. neque Abeli vnquam defuit Caim nec Iſaaco ſuus Iſmael, nec Moiſi Iamnes & Mambres. Quid? quod etiam ipſe Chriſtus, dum veritatem plantaret, habuerit hæreticos ſibi aduerſantes Sadducæos ac Phariſæos, & ipſorum Apoſtolorum temporibus nõ deſtitit Sathã commouere ſuos miniſtros, qui ſe euangelicæ prædicationi opponerent. Paulus & Petrus Euangelium prędicabant Romæ: ſed non defuit itidem magiſter erroris Simon Magus qui euangelium mendaciis conabatur ſubuertere. Quemadmodum & Elymas Magus in Cypro reſtitit *Actor. 13.* Pauli doctrinæ. Extitit quoq; Nicolaus, qui infami & fœda ſua hæreſi inimicus factus eſt veritatis. In Aſia Cerinthus & *Actor. 6. & Apocal. 2.* Ebion Chriſti diuinitatem negantes Ioanni contradixerunt. Paſſim autem & vbique Euangelij perſecutores fuere Iudaizantes. Sed & Petrus ac Iudas Apoſtoli in ſuis epiſtolis hæreſes oppugnant *1. Corint. 15* ſui temporis. Paulus in epiſtola ad Corinthios ſcribit contra eos qui negabant reſurrectionem carnis; & in epiſtola ad *1. Timot. 1. 5.* Timotheũ queritur Hymeneũ, Alexan-

drum

drum & Philetũ à fide defeciſſe, & præ- 2.Timot.2.
dicit Aſianis quod etiam ex ipſis exur- Actor.20.
gerent lupi rapaces non parcentes gregi. Atque ita nunquam quieuit diabolus, quin perſequeretur Eccleſiá Chriſti falſis & peſtilentibus erroribus. Si autem tũc habuit qui ipſi in hoc ſeruirent, quã do adhuc gratia Spiritus ſancti & fides cum charitate feruebat: quid non poteſt quando homines dormiunt & ad omne malum procliues ſunt? anne tunc & ſuperſeminabit zizania? Atqui Epiphanius qui extitit ante annos mille ducentos in libro quem ſcripſit de hæreſibus quot enumerat hæreſes? quot Philaſter ei coæuus? quot Auguſtinus? Et quid mirum iam mundo ad finem tendente tot extare hæreſes, & quotidie plures ac plures exurgere qui viam parent Antichriſto? iam enim nouiſſima hora eſt & dies Do- Tertia ratio.
mini inſtat. Quemadmodũ ergo nec tũc mala fuit religio, imo plane pura quando primis trecentis annis per tyrãnorum perſecutioné premebatur, nec catholica defecit pietas; etſi contra eá inualeſceret Arrianorũ impietas: ita etiam nec iá Catholica religio habẽda eſt minus ſyncera etſi tot errorũ tenebræ lucẽ eius conentur obſcurare. Et ſane ſi ex æquo omnia

con-

conſiderare volumus, perſecutio hæc, quam nunc Eccleſia ſuſtinet, exigua imò nulla eſt, præ illa quam paſſa eſt à Donatiſtis & aliis hæreticis, ac potiſſimum ab Arrianis; quando etiam ab hæreſi ſtabat Imperator, & toto orbe in Catholicorũ ſæuijt Epiſcopos: quando tot viri docti in ſcripturis verſatiſſimi & omnium linguarum genere inſtructi eam defenderunt: quando tot Epiſcopi eam ſua autoritate & patrocinio corroborarunt. Tanta certè hodie non eſt tentatio; nec ita oppugnamur. Cæterũ, quemadmodum tunc ſponſam ſuã Chriſtus non deſeruit, ſed hæreſi deficiente Catholica veritas obtinuit: ita, ſpero, & nũc Dominus Eccleſiam ſuam non deſeret; ſed omnibus patefiet hęreticorum improbitas veritate triumphãte. Atqui vel in hoc apparet diuina bonitas, quod nõ ita ſinat hos lupos pellibus ouillis cooperiri, quin ſemper aliqua pateat eorum furor & rabies.

Quinta ratio. Vt enim eorũ parens Berengarius, quando vna cum errore quem habuit de Euchariſtia etiam dogmatiſauit infantium baptiſmũ eſſe inanem, & turpẽ agamiam ceu vagum concubitum eſſe licitum, ſatis indicauit ſe lupum, & indicium dedit quamuis neſcius vt omnes ab ipſo fugerent:

Guitmundus lib. 1. contra Bereng.

rent: ita etiam hi noſtri aduerſarij, vtut videantur in perſequēdo ſuperiores eſſe, tamen quando non modo in neganda veritate Euchariſtiæ inſipientes ſunt, ſed inſuper tollunt liberum arbitrium, omniaq; aiunt de neceſſitate euenire; Deum æque cauſam eſſe omnium peccatorum atque omnium virtutum; dum aſſerunt Chriſti baptiſmum paruulis nihil conferre; dum plærique ad ſuam, quam de Euchariſtia opinionem cōceperunt, defendendam, negāt Mariam in partu virginem permanſiſſe; dum aſſerunt, contra ſcripturas, Chriſti animam tormēta inferni ſuſtinuiſſe, nec ſanguinem aut paſſionem eius ſuffeciſſe ad redemptionem noſtram conſummandā; dum crucis ſignum & memoriam auferunt; certè dum hæc & huiuſmodi alia docent & aſſeuerāt, magnis & multis indiciis præmonent nos, vt totam ipſorum doctrinam tanquam peſtem & venenum effugiamus; & quiduis potius ſuſtineamus, quam vt ipſorum doctrinæ & impietati acquieſcamus. Et quis adeò cæcutiat, qui non videat illorum κακαγγέλιον ex diametro cum Euangelio Chriſti pugnare, modo eorum crudelitatem & furorem conſideret? Chriſti enim euangelium in

Caluinus in Inſtitutione

Quinta rati

d omne

omni manſuetudine & obedientia erga magiſtratus & principes cum patientia & miraculorum virtute plantatum & confirmatum fuit: ſanctique viri hoc pacto iuxta præſcriptum Chriſti ſpiritu ſancto cooperante omnes nationes gentium ad Chriſtum cõuerterunt; patiendoq; & obediendo Principes & Reges terræ Euangelij iugo ſubiecerunt. Nec profecto Eccleſia ſolet paganos aut Iudæos per vim ad fidem compellere: imò, vt doctores docent, ne quidem infantes infidelium inuitis parentibus vult baptizari. Quid enim mihi de his qui foris ſunt, inquit Paulus, iudicare? quamuis interim filios ſuos ſemel ſibi ſubiectos ab errore, quoad fieri potuit, ſemper cõpeſcuerit. Ac proinde principes Catholici pro ſui temporis ratione ſemper hæreticos certis pœnis ſubiecerunt. Verum hi noſtri homines, ſi diis placet, cum nos habeant pro paganis & infidelibus; nec nos aut maiores noſtri vnquam eorum corruptæ hæreſi fuerimus ſubiecti; cum nullũ nobis ſpecimen virtutis exibeant, ſed quæ carnis ſunt doceãt & ſequantur, boniſq; alienis quam maximè inhient, ambitione & arrogantia tumeant; cum nullam manſuetudinem oſtendant, ſed inui-

Thomas 2. 2 quæſt. 10 art. 11.

1. Corint. 5.

inuidia & odio pleni ſint; cum contra Chriſti & Apoſtolorum doctrinā principes & reges, qui eorum placitis non acquieſcunt, ſolio & regno exturbēt; cum nullum interim miraculum faciant, tamen vi & armis (Mahometico more) nos ad ſua deliramenta ſuſcipienda velint compellere: ecquis non videat viam hanc non eſſe regiam, non eſſe Apoſtolicam, non eſſe Chriſtianā? ſacras enim virgines violare, monaſteria deſtruere, templa deijcere, ſacramenta ſacraq́; omnia prophanare, in ſacerdotes & clerum turpiter ſæuire, non Apoſtolicorum virorum, ſed circumcellionum ac hæreticorū & Antichriſti eſt. Itaque tātum abeſt vt eorū perſecutio animum noſtrum frangat & deijciat, aut fidei noſtræ quicquam deroget; vt magis eam ſtabiliat & nos in ea confirmet. Præterea anne cer- *Sexta ratio.*
tum eſt ſeductorum indicium, quod ita paſſim omnes veteres bibliothecas & omnia antiquitatis monumēta deſtruāt & euertant? Quid enim aliud volunt, quam Patrum ſcriptis deletis, & deiectis omnibus antiquæ religionis indiciis, poſteritati perſuadere nullam vnquam extitiſſe religionem præter ſuam? cum ea ante triginta annos nuſquam exti-

terit, & cõflata ſit ex Lerna & fæce omnium veterum hæreticorum. Quamobrem ſimus fortes & ſtemus conſtantes vſque ad mortem, (nam oportet hæreſes eſſe, vt illi qui probati ſunt manifeſti fiant,) nec propter perſecutiones & religionis deſpectum exiſtimemus religionem nullam eſſe. Quis enim ignorat religionem Iudæorum bonam fuiſſe arcam, templum, vaſa, omniaque ſacra miniſteria, in veteri teſtamento fuiſſe à Deo ordinata? & tamen erit aliquis qui exiſtimet ea minus bona fuiſſe, cum ab impiis deſtruerentur & conculcarentur, quàm cum à Deo inſtituerentur? Abſit. Ita etiam nec de religione noſtra dubitandum eſt. Si enim iuſtè ſecũdum ſcripturas omnia expendere volumus, peccata ſanè noſtra hanc calamitatem promeruere. religio enim noſtra bona eſt: ſed nos boni non ſumus, nec ea bene vſi ſumus: ſed in omni ſtatu iniquitates & peccata vltra modum excreuerunt, & hinc hæ lachrymæ, hinc iratũ Deum ſentimus. Nã, vt ait Dominus, Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, viſitabo vos (inquit) velociter in egeſtate & ardore. & poſt multa, Abominabitur, inquit, vos anima mea intan-
tum

[1]. Cor. 11.

[S]eptima ra[t]io.

Leuit. 26.

tum vt vrbes veſtras redigã in ſolitudines & deſerta faciã ſanctuaria veſtra, nec recipiam vltra odorem ſuauiſſimũ. Et ideo Dominus per Hieremiã ait: Nolite confidere in verbis mendacij, dicẽtes; Templum Domini, templũ Domini, tẽplum Domini eſt. quoniam ſi benedixeritis vias veſtras & ſtudia veſtra feceritis iudicium, &c. habitabo vobiſcum in loco iſto. &, Ite, inquit, ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſrael, &c. Quemadmodũ ergo ſub Heli & Samuele propter peccata Sacerdotum, & populi arca capta eſt, & ſub Sedechia & Hieremia templum incenſum eſt & prorſus deſtructum, & tempore Machabæorum ſancta conculcata ſunt & contaminata, & ſacerdotes facti ſunt in luctum & humilitatem: ita & impræſentiarum, propter ambitionem luxum & auaritiam, & innumera alia peccata quæ commiſimus, Deus nos deſerit; religio noſtra conculcatur; & Sacramenta myſteriaq; diuina veniunt in contemptum. Ideoq; ſæpius mihi occurrunt in hac calamitate verba illa quæ legimus 2. Machab. ca. 5. in quo ſermo eſt de perſecutione Antiochi

Cap. 7.

1. Reg. 4.

2. Reg. 25.

1. Macha. 1. & 4.

tiochi qui templum contaminabat, & ſancta vaſa aſportabat. Ita, inquit ſcriptura, alienatus mente Antiochus non conſiderabat quod propter peccata habitantium ciuitatem modicùm Deus fuerat iratus, propter quod & accidit circa locum deſpectio. alioquin niſi contigiſſet eos multis peccatis eſſe inuolutos, ſicut Heliodorus qui miſſus eſt à Seleuco Rege ad expoliandum ærarium, etiam hic ſtatim adueniens flagellatus & repulſus vtique fuiſſet ab audacia. verum non propter locum gentem ſed propter gentem locum Deus elegit. ideoq; & ipſe locus particeps factus eſt populi malorum, poſtea autem fiet ſocius bonorum: & qui derelictus in ira Dei omnipotentis eſt, iterum in magni Domini reconciliatione cum ſumma gloria exaltabitur. hactenus liber Machabæorum. hæc certè & vnuſquiſque noſtrum ſibi ob oculos ponere debet. niſi enim Dominus offenſus eſſet peccatis noſtris, non vtique impune ſua ſacroſancta myſteria ſineret violari: quorum violationem ipſum ſæpius vltum fuiſſe legimus. Sed non nos propter iſta, ſed iſta propter nos inſtituit. Hinc & peccatis noſtris exigentibus iſta deſerun-

Cypr. in ſer. de Lapſis. Optatus Mileuitanus lib. 2. de ſchiſmate Donatiſt.

runtur & conculcantur. Verum, ſi ex toto corde ad Dominum fuerimus cõuerſi; Deus templa noſtra rurſus eriget, & Sanctis dabit honorem ſuum, religioq́; noſtra magis quam vnquam vigebit & decorabitur. His ergo paucis, Auditores Chriſtiani, oſtendere volui puritatem ac ſynceritatem noſtræ religionis; nosq́ue omni iure in ea permanere; nec propter abuſus prætenſos aliam inſtituendam vel admittendam religionem: ſed eos, vt nunc factum eſt in concilio Tridentino, ad normam veteris Eccleſiæ corrigendos; nec præſenti calamitate quenquam frangi debere; nos enim & deteriora promeritos, & omnia pro Chriſto fortiter toleranda. dixi.

THESES
DE VERBO DEI
NON SCRIPTO, EXHIBITÆ MAGISTRATVI ET MINISTRIS

Caluiniſticis in ciuitate Brugenſi, ſuper quibus habita fuit ſequens diſputatio.

Omne verbum Dei credendum eſt ſiue ſcriptum ſit, ſiue non ſit ſcriptum.

Multa fidem noſtram concernunt, quæ non ſunt expreſſo verbo Dei tradita.

Eccleſia tam veteris quàm noui teſtamenti multis annis fuit abſque verbo Dei ſcripto.

Quod poſtea verbum Dei ſcriptum ſit, non eo conſilio vt omnia quæ credenda ſunt ſcriberentur, ſed quæ ſcribi debuerunt.

Sicut ad Eccleſiam pertinet iudicare quod ſit verum verbũ Dei ſcriptum, ita ad eandẽ pertinet iudicare quod ſit verbũ Dei verum non ſcriptũ.

Quando controuerſia eſt de expoſitione alicuius ſcripturæ ad conuincẽdos hæreticos, neceſſario recurrendũ eſt ad cõſenſum Eccleſiæ & traditionẽ.

Omnes quotquot fuerũt hæretici negauerunt verbum Dei non ſcriptum. omnes vero Patres catholicæ Eccleſiæ, ſiue martyres ſiue alij, ſemper illud agnouerunt.

CON-

CONFIRMATIO PRIMÆ *Concluſionis.*

Vereor, ornatiſſimi viri, vt propter temporis anguſtiá tam copioſe & aperte, quam par eſt, poſſim vobis ob oculos ponere concluſionum de quibus præſens diſputatio inſtituta eſt certitudinem ac veritatem. cogor enim eſſe breuis in materia longe ampliſſima. Verum me conſolatur cauſæ quam defendendam ſuſcepi æquitas & certitudo. Quis enim niſi fuerit atheos negabit omne Dei verbum credendum eſſe? Nónne Deus ve- *Roman. 3.* rax eſt imo & ipſa prima veritas? *Pſal. 99.1* Nemo ergo de omni eo quod nobis locutus eſt aut reuelauit Deus ambigere poteſt, niſi & ſimul negauerit eum Deum eſſe. Sed dices, de iſto nullam eſſe cõtrouerſiam; in eo autem verſari totius diſputationis cardinem: An aliquid ſit & appellari debeat verbum Dei, quod ſcripto mandatum non ſit? *Roman. 1* Porro id non dubium eſſe, ſed longe certiſſimum, paucis accipite. An enim quis negabit eſſe verbum Dei, quod ſacræ literæ verbum Dei eſſe pronunciant? Eſaias enim clamat: Verbum

a. 40. & Dei manet in æternum:ſed illud eſt ver-
Pet. 1. bum, inquit Petrus, quod euágeliſatum ſeu prædicatum eſt in vobis: non autem dicit;ſcriptum:atque ita dè verbo prædi-
man. 10. cationis id interpretatur. Sed & Paulus, Fides, inquit, ex auditu eſt, auditus autẽ
Theſſ. 2. per verbum Chriſti.& alibi verbum Dei appellat verbum auditus Dei: nequis duntaxat ſcripto verbum Dei contineri ſomniaret. Cæterum & ipſa vox Euangelij, quo verbum Dei tempore noui teſtamenti appellamus, nónne ſatis declarat verbum Dei non ſolis literarum anguſtiis comprehendi? Quid enim ſonat euangelium,niſi bonum nuncium? Nec
man. 2. putet quis ad temere factum eſſe. nam
er. 31. teſtamentum nouum apud Hieremiam
Cor. 3. promittẽs Deus; Dabo,inquit,legem in viſceribus eorũ, & in corde eorum ſcribam eam. & Paulus Corinthiis epiſtolam dicit eſſe Chriſti miniſtratam, & ſcriptam non atramento ſed ſpiritu Dei viui. Quarum ſcripturarum vim bene conſiderantes doctiſſ. pariter & ſanctiſſ.
æus li. 3. viri Irinæus & Chryſoſt. hinc declarant
4 contra ad gratiam noui teſtamenti pertinere, vt
eſes. Chry *homil 1.* etiam abſque ſcriptis verbum Dei fide-
Matth. lium cordibus imprimatur. Quid? quod
man. 3. nec ipſe Chriſtus quicquam ſcripſerit?

 Qui

Qui tamen noui teſtamenti mediatòr & verus Deus nihil niſi purum verbū Dei, & ea quæ audiuit à patre nobis locutus eſt; nec vſquám iuſſit id quod docuit & prædicauit ſcripto mandari. ſed prædicate, ait, euangeliúm. &, oportebat prædicari in nomine Chriſti pœnitentiã. &, prædicabitur euãgelium hoc in vniuerſo mundo. nuſquam audis, ſcribite, niſi in Apocalypſi; vbi non de doctrina, ſed prophetia agitur. Et cum Chriſtus totos tres continuos annos à docendo & prædicando non ceſſarit: an erit quiſpiã tam veſanus qui exiſtimabit totam eius prædicationem ſcripto mandatam eſſe? & vbi ſcripta reperies ea, quæ per quadraginta dies poſt reſurrectionem de regno Dei ſeu gubernatione Eccleſiæ apud ſuos diſcipulos locutus eſt? & tamen iuſſit vt docerẽt omnes gentes ſeruare omnia quæcunque ipſis mandauerat. An ergo admirabimur quædam obſeruanda iam inde ab initio Eccleſiæ præſcribi, quæ nuſquam ſcripta in ſacris codicibus inueniuntur? Imò nec Chriſtus ipſe ſola ſua doctrina quam prædicauerat voluit legem nouam concludi. ſed multa, inquit, habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo: cùm autem venerit

1. Tim 2. Ioannis 8. & 14. Mar. vlt. Luca vlt. Matt. 10. 2 Apocal. 1. Roman. 4 Act. 1. Matth. Roman. Ioannis

annis 14. nerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos
Cor. 14. omnem veritatem. Hinc quam multa
Tim. 2. 3. inſtinctu Spiritus ſancti præſcripſit Pau-
, 1. lus, quæ tamen à Domino præcepta eſſe
non inuenies? & an minoris facienda
ſunt, quam ſi ab ipſo Chriſto conſtituta
forent? cum authoritate enim dicit Pau-
Theſſ. 4. lus: Qui hæc ſpernit, non hominē ſper-
Cor. 7. nit, ſed Deum; qui etiam dedit Spiritum
ſanctum in nobis. &, Puto (inquit alibi)
quod & ego ſpiritum Dei habeo. Sed
quod Paulum per Spiritum ſanctum fa-
ctitaſſe legimus, anne idem de aliis Apo-
ſtolis credemus, quibus non minus Ec-
cleſia commiſſa & curæ fuit, quam Pau-
lo? Anne certum nobis erit eos multa
huiuſcemodi alia circa gubernationem
Eccleſiæ ſtatuiſſe, quæ per totum orbem
iam inde ab ipſorum temporibus obſer-
uata comperimus? & an hæc minoris
faciemus, quam ſi eadem ſcripta eſſent,
vt illa ſunt, quæ eos per occaſionem ſta-
, 15. de Spiri- tuiſſe in actis ſcribit Lucas? Certè Ma-
ncto. cap. gnus ille Baſilius vtraque, ait, parem vim
habere ad pietatem: In omnibus enim
huiuſcemodi ſtatuendis, vnum conſi-
deramus Spiritum ſanctū; de quo Chri-
ib. 10. ſtus: Vos nō eſtis qui loquimini, ſed Spi-
ritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.

Sed

Sed hæc miſſa faciamus. Vnum autem *Roman. 6.*
addam, quod ab omnibus conſideratum
velim; plærosq; videlicet Apoſtolorum
nihil ſcripſiſſe, & tamen verbum Dei
ſtrennue prædicaſſe: imò & nullum A-
poſtolorum totam ſuam prædicationem
ſcripto mandaſſe. Abſurdum enim fue-
rit dicere Paulum nihil amplius prædi-
caſſe quam ſcripſerit, nedum ergo Pe-
trum, Ioannẽ, Iacobum, aut Iudam qui
longè pauciora ſcripſere: ideoque nos
bene inferre multa ab his docta, ordina-
ta & ſancta fuiſſe, quæ ſcripto non pro-
didere: quæ certo colligimus ea eſſe, quæ
ſemper & vbique ab Eccleſia obſignata
fuere. & ſane vt hoc ita eſſe intelligas, *Roman. 7.*
nec verbum Dei id eſſe ſolum exiſtimes
quod ſcriptũ eſt: Paulus in epiſtolis ſuis
ad Euangelium Dei annũciatum & tra-
ditum recurrit, non autem ſcriptũ. No- *1. Cor. 15*
tum, inquit, vobis facio euangeliũ, quod
prædicaui vobis, quod & accepiſtis. tra-
didi enim vobis quod & accepi. Siue ego
ſiue illi ſic prædicauimus & ſic credidi-
ſtis. & iterum: Si quis aliter docet, & *1. Timoth*
non acquieſcit ſanis ſermonibus. item;
formam habe ſanorum verborum, quæ
à me audiſti, & quæ à me audiſti hæc *2. Tim. 1.*
commenda fidelibus. Vbique ſane vrget
verbum

verbum Dei traditum: ſicut etiam hoc
Timoth.6. loco; O Timothee depoſitum cuſtodi
deuitans prophanas vocum nouitates.
b. de fidei tho anti-it. lib. in mmẽtariis. Quem locum pro traditione non ſcripta
facere luculenter admodũ oſtendit Vincentius Lirinenſis: ſicut Chryſoſt. &
Theophyl. ex eo quod Paulus ſcribit ad
Cor. 11. Corinth. Laudo vos fratres quod ſicut
tradidi vobis præcepta mea tenetis, docent multa eſſe tradita & non ſcripta.
hanaſius de Incarnatione ver- Quid? quod celeberrimi illi viri Athanaſius & Ambroſius Paulũ de traditione loqui afferant cùm ait: Si quis vobis
mbroſ.epiſtola 32. lat. 1. euãgelizauerit præter id quod accepiſtis,
anathema ſit? Sed quid multis opus eſt?
Nónne ipſe Paulus nos mittit ad Eccleſię conſuetudinem, eamque vrget con-
Cor. 11. tra contentioſos? Siquis, inquit, videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus neque Eccleſia
Dei. vbi indicat vnicuique ſufficere debere pro ratione, quod ſit conſuetudo
Eccleſiæ. quomodo Chryſoſtomus lo-
m.4. in 2. Theſſalonenſes. quitur; Traditio eſt: nihil quæras amplius. ſed & alibi nónne apertè vult
nos traditionem & verbum Dei non
Theſſ. 2. ſcriptum ſequi, cùm ait: Fratres, ſtate
& tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue
per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.

ſtram. Quem locum quis Patrum pro traditione non vrget? Sed cum ibidem ait; Num retinetis quod cum adhuc eſſem vobiſcum, hæc dicebam vobis: & nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore: nónne (vt verba ipſa & omnes patres indicant) hic ſignificat ſe quædam eos docuiſſe, quæ ſcribi non expediebat? vt etiam declarat quando Corinthiis dicit: Cætera cum venero diſponam. ideoque præſcribit vt ſubtrahamus nos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem quam ab ipſo acceperant: quemadmodum etiam cum Sila (vt eſt in Actis) præſcribit cuſtodire & ſeruare, præcepta ac dogmata Apoſtolorum ac ſeniorum. Et cum hæc ita ſe habeant: quomodo nunc quidam tam impie vociferantur nihil recipiendum eſſe niſi quod ſcriptum ſit, omnemque traditionem eſſe amouendam? nónne huiuſmodi homines verbum Dei mutilát? imo ad nudum propemodum nomen contrahere ſtudent? quid enim erit ſcriptura, ſi traditionem & viuum verbum ab ipſa auferas? vt latius in ſexta concluſione oſtendo. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Impius itaque eſt,

1. Cor. 11.
2. Theſſ. 3.
Acto. 15. 16.
2. Corint. 3.

&

Matth. 18. & ſua phantaſmata loco verbi Dei ob-
23. & 10. Itē Lucæ 10. trudere conatur, quiſquis ſpiritum à li-
1. Timoth 3. tera vult ſeparare, quod nec Chriſtus
Heb. 13. nec Moyſes nec Paulus permittunt, qui
in omni difficultate ad Eccleſiam eiuſq;
præfectos nos mittunt, vt audiamus ab
Roman. 8. ipſis veritatem. Et ſane quia videbat Spi-
ritus ſanctus multos ſurrecturos, qui pr-
textu ſcripturæ à tradita doctrina & à
vera ſcriptura debite intellecta nos vel-
lent abripere; omnino monuit vt in eo
quod ſemel accepimus permaneamus.
Deut. 32. Quid enim aliud prædicauit Moyſes,
Pſal. 43. dum canit; Interroga patrem tuum, &
annunciabit tibi. ſed & Dauid: Patres
Pſal. 77. noſtri annunciauerunt nobis. Et, quanta
mandauit patribus noſtris nota facere ea
filiis ſuis, vt cognoſcat generatio altera,
Iob 8. Sed & Iob: Interroga generationem pri-
Prouerb. 22. ſtinam. Et Salomon: Ne tranſgrediaris
Eccleſia. 8. terminos antiquos. Et Ieſus Sirach: Ne
te prætereat narratio ſeniorum. Et Iere-
Hier. 6. mias: State ſuper vias, & interrogate de
ſemitis antiquis. Sicut & Paulus paſſim
monet (vt ſupra audiſtis) vt in Euange-
lio ſemel tradito & accepto perſeuere-
mus. Cæterum metuo ne, dum hæc ad-
fero, in confirmatione huius concluſio-
nis prolixior ſim. quippe cum hæc con-
cluſio

cluſio robur & certitudinem accipiat ex demonſtratione ſecundæ, tertiæ, quartæ, ſextæ & ſeptimæ concluſionis. Nihilominus tamen, vt colophonem addam, illud adijcio, in confeſſo apud omnes eſſe, omnem hæreſim eſſe errorem in fide; fidem autem de verbo eſſe Dei; ac proinde omnem hæreſin errare circa verbum Dei. Si igitur nullum ſit verbum Dei, niſi ſcriptum: reſpondeant mihi qui id volunt, cur Eccleſia vetus quam ipſi Eccleſiam fuiſſe inficiari non poſſunt, hæreſeos condemnauerit Donatiſtas, Euſtachium, Aerium, Quartodecimanos, Vigilantium, Heluidium, Iouinianum, quod verbo Dei non ſcripto ſeu traditioni repugnarẽt, vt in declaratione ſequentis concluſionis oſtendo. Sed & Valentinus, Arrius, Neſtorius, alijq́ue id genus, non tam ex verbo Dei ſcripto quàm non ſcripto ac tradito conuicti condemnatiq́ue fuere. Quamobrem cõcluſione hac prima ex dictis, vt arbitror, ſatis declarata & confirmata, ad ſecundam accedo.

Roman. 9.

In concilio Gaugrenſi.

CONFIRMATIO SECVNDÆ Concluſionis.

POrrò vt declarem multa ad fidem noſtram pertinere, quæ nõ ſunt expreſſo

verbo Dei tradita, nõ opus eſt vt doceam etiam ſub veteri teſtamento multa fuiſſe quæ fidem concernerent, & tamen ſcripta non eſſent: quia id facio in declaratione quartæ concluſionis. Nolo etiam cum multis vrgere deſcenſum Chriſti ad inferos, quod articulus fidei ſit; & tamen clare & expreſſe nõ habeatur in ſacris literis: quia forte quis opponeret pſalmum decimumquintum & Actorum ſecundum caput. Verum ad defendendã hanc concluſionem in prima acie colloco numerum canonicarum ſcripturarum. Nemo enim inficias ibit eum fidẽ noſtram concernere, cum ſit totius fidei fundamentum: & tamen non ex ſcriptura ſed ex traditione habetur; cui quod non adhærerent hæretici iudicati ſunt Alogi ſeu Alogiani, Ebion, Baſilides, Marciõ, Manichæus, Priſcillianus, & id genus alij. ſed & Symbolum Apoſtolorum, quo capita totius religionis continentur, quod ab Apoſtolis concinnatum & cõfectum ſit quænam ſcriptura docet? & tamẽ omnes id firmiter credimus. ſed & quod filius Dei ſit ὁμοούσιος, ſeu patri conſubſtantialis, nónne potiſſimum ex traditione contra Arrianos in Concilio Nicæno & Conſtantinopolitano declaratũ eſt, cum ipſi

[T]raditio prima.

[E]piphanius [hæ]reſi 51 & [A]uguſt. hæreſi 30. [Eu]ſeb. lib 3. [ca]p. 27. [Ir]enæus li. 1. [con]tra hære[ses] cap 29. [Eu]ſeb. lib. 4. [hist]o. eccleſ. [ca]p. 8. [A]uguſtin. in [hæ]reſi. Manichæor. [Co]ncilium Bra[ca]renſe. 1. ca[pu]te 17.

ipſi pro ſe quadraginta vel quadraginta duas ſcripturas adferrẽt? Sed & quod tres perſonæ ſint in diuinis relatiuis proprietatibus ſolis diſtinctæ cũ Auguſtino traditionem eſſe dicere audeo. nam licuit, inquit, tres perſonas dicere, nõ quia ſcriptura dicit, ſed quia ſcriptura non contradicit. quin & magnus ille Baſilius nónne ex authoritate & traditione patrum conuincit dicendum eſſe, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, vel cum Spiritu ſancto; hæreticis contra vrgentibus dicendum eſſe, in Spiritu ſancto, idq́; ſecundum ſcripturas? Quid? quod Maria dicenda ſit Deipara, nónne ex verbo tradito habetur? cùm tamen Neſtorius vellet eam vocari Chriſtiparã iuxta ſcripturas, quas complures pro ſe adferebat, vt infra oſtendemus. Atqui condemnatus eſt in Concilio Epheſino, vbi etiam contra ipſum declaratũ fuit, quod duæ eſſent naturæ in vna hypoſtaſi, non tam ex ſcripturis quàm traditione. qua ratione etiã in Concilio Chalcedonẽſi oſtenſum eſt contra Eutychem duas naturas inconfúſas in Chriſto permanſiſſe. ſic Monothelitæ in ſynodo ſexta, ſic Græci negantes proceſſionem Spiritusſancti à filio in Synodo Florẽtina nõ tam ex verbo ſcripto,

Vide infra c. firmat. concluſionis 6.

Lib. 7. de trinit. cap. 4.

Lib. de Spiritu ſancto. cap. 27. et 2

In concluſ. 6

 quàm

ncluſ. 6. quam non ſcripto ac tradito cōuicti condemnatique fuere, vt infra latius declarabo. Et ecquis neget prædicta fidem no- *b. de eccle ſt. dogma. p. 69.* ſtram concernere? Sed & perpetua Mariæ virginitas nónne, vt aſſeritur apud Auguſtinū, certo credenda eſt, & eam negātes iam antiquitus condemnati ſunt hæreſeos? & tamen è qua expreſſa ſcriptura clare eam oſtendis? Quod autem baptiſmus iterari non poſſit, & quod valeat etiam collatus ab hæreticis, vt declaratum fuit in quodam concilio generali quod tantopere contra Donatiſtas vrget Auguſtinus, nónne fidei eſt? & tamē per nullam ſcripturam id efficaciter compro- *rigenes in 6 pit. epiſtoe ad Romaos ſcribens. uguſt. li. 4. ntra Donaiſtas, ca. 24.* babis. Sed & baptiſmus paruulorum à doctiſſ. viris Origene & Auguſt. ad traditionem Apoſtolicam refertur. quemadmodum etiam quod paruuli baptiſati in numero fidelium & credentium reponantur ex Apoſtolica traditione prouenire cenſet Auguſtinus. Et quid dicam de *erm. 14 de erbis Apoſt. & lib. 1. de eccat meritis & remiſſ. ca. 9. & 20. atth. vlt.* ipſa baptiſmi forma, per quam fideles efficimur? quomodo eam retinebis ſi traditionem ſuſtuleris? Si enim dicas Chriſtū dixiſſe: Euntes docete baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: opponam tibi Apoſtolos, qui nihil voluiſſent facere contra prçceptum ſui magiſtri,

giſtri, baptiſaſſe tamen in nomine Chri- *Act. 2. et*
ſti. Non puto etiam quemquam negaturum ad religionem Chriſtianam pertinere, quod obſeruemus diem Domini- *Auguſtinus*
cum, feſtum Paſchæ, Pentecoſtes, & Na- *epiſtola 11*
tiuitatis. & è qua obſecro ſcriptura? In- *Athanaſ. i*
ſuper ad dirimendam etiam controuer- *epiſt. ad A*
ſiam de obſeruatione Paſchatis Conci- *phricanos. e* *Euſebius li*
lium Nicænum indictum fuit: & qui eius *3. de vita C*
definitioni in hoc non ſubſcribebant in *ſtantini.*
album hæreticorum relati ſunt, ab Epiphanio quartodecumani appellati. tanti apud veteres valuit traditio. Porrò & ipſi aduerſarij noſtri anne ſicut & nos ieiuni Euchariſtiam ſumunt? cum tamen *Matth. 26.*
Chriſtus poſt ſumptũ agnum paſchalem *Mar. 14.*
eam inſtituerit; & Corinthij tẽpore Pau- *1. Cor. 11.*
li non ieiuni eam ſumpſerint. Itaque vel *Auguſt. epiſt*
inuiti cum Auguſtino & tota Eccleſia *118. cap*
coguntur recurrere ad Apoſtolicam tra- *Cypr. epiſt.* *lib. 2.*
ditionem. Poſſémne & merito cõtra eos vrgere obſeruationem quadrageſimæ, quam ſemper & vbiq; totus orbis Chriſtianus obſeruauit; idque ex Apoſtolica traditione? quam quia Euſtachius & Aeriani contempſerunt, ab Eccleſia mar- *In concilio*
tyrum cruore adhuc calida condemnati *Gangrenſi.*
ſunt, & ab Epiphanio & Auguſtino hæ- *Acto. 324.*
reticorum catalogo adſcripti. Et quid

dicam de Vigilantio ridente veterē conſuetudinem in honorandis & inuocandis Sanctis, contra quem ſcripſit Hieronymus? nónne ab omnibus ſemper pro hæretico habitus fuit? Vt interim taceam de iconomachis ex traditione in cōcilio ſecundo Nicæno condemnatis. Quin, vt & hoc ex abundanti addam, Patres omnes generatim ea quæ circa baptiſmū & Euchariſtiam fiunt, necnō circa Sacramentum Confirmationis atque extremæ vnctionis, & quæ ad gubernationem Eccleſia pertinent, atque etiam ſignum crucis & huiuſmodi alia ad Apoſtolicā referūt traditionem, vt patet ex * Clemēte, Dionyſio Areopagita, Tertulliano, Iuſtino, Origene, Cypriano, Baſilio, Epiphanio, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Leone, & id genus aliis vetuſt. patribus: adeo vt à Baſilio verè dictum ſit; Si conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt conemur reijcere: imprudētes & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur: imò potius ipſam fidei prædicationē ad nudum nomen contrahemus. Hic etiam appello eorum conſcientiam, qui Apoſtolicas traditiones prætextu libertatis Chriſtianæ volūt ſublatas: quánam fronte audeant alios ritus, alia

Clemens li. [C]onſtitutionū [A]poſtolicarū. [D]iony lib. de [E]ccl. Hierarc. [T]ertull. lib. de [c]or. militis. [I]uſtinus Apologia. 2. ad [A]ntoninum. [O]rigenes ho. [5]. in Numer. [C]yprianus epiſt. 12. l. 1. et epiſt. 3. l. 2. [B]aſilius li. de [S]piritu ſ. c. 27 [E]piphan. hæreſ. 61. et 75. Ambroſ. lib. [d]e Sacramen. [l]iis & iis qui [ſ]acris myſteriis initiātur. [A]ug. epi. 105 [l]ib. 1. de peccator. meritis [c]. 34 itē li de peccat. origin. [c]ap. 40. li. 6. [d]e baptiſ. contra Donatiſt. [c]ap. 25. epiſt. [1]18. & 86. Hier. in dial. cōtra Luciferia. et in epiſt. ad Euſtochiū. Vide infra vlt. concluſ.

alia ieiunia, alios dies feſtos ex ſuo cerebro inſtituere, populũq; ſuo iugo premere ſe Apoſtolis præferentes? Hiſce itaq; ſi iungantur ea quæ in declaratione quartæ cõcluſionis dicturi ſumus, puto hanc ſecundã concluſionẽ efficaciter admodum eſſe confirmatam. quare ad tertiã accedo.

CONFIRMATIO TERTIÆ Concluſionis.

HAc concluſione obiter declaro verbum Dei traditũ non dependere à verbo Dei ſcripto, imo & tempore iſtud præcedere, atq; adeò tãtæ eſſe authoritatis vt eo ſolo inſtructa Domino Deo diu admodũ ſeruierit eccleſia; ac proinde ſtulte eos facere qui id contemnunt. conſtat enim nunquam Eccleſiam fuiſſe abſque verbo Dei. Inter omnes autẽ Scriptores cõuenit primo omnium ſcripſiſſe Moyſen. verùm inter Adamũ & Moyſen fuit interuallũ pluſquam duorũ miliũ annorum. atq; ita certũ eſt Eccleſiã veteris teſtamẽti fuiſſe diu & ſeruiiſſe Deo per circumciſionem ſacrificiaq; & externũ Dei cultum abſq; verbo ſcripto. Quod autem attinet ad Eccleſiã noui teſtamenti; compertũ habemus eã diu extitiſſe, antequã nouũ teſtamentũ eſſet ſcripto mandatũ.

ron. li. de ptcribus eſiaſt. ophyl. in fatione in ubaeum. ophylaſt. prædicto. hy. præfa ie in 4. e- gelia.

.3. contra eſes ca. 1. ſebius lib. iſtor. ec- . cap. 8.

b. 3. hiſto. leſ. ca. 24.

iphan. in reſi 51 quæ Alogorum g in præ- in Ioannē

Nam, vt dicit Hieronymus, cũ quo etiã conſentit Theophylactus, omnium primo ſcripſit Euangelium Matthæus, idq; octauo anno à morte Chriſti: vt teſtes ſunt Euſebius in Chronicis, Theophylactus & Euthymius. Sed etſi tunc Euangelium ab eo conſcriptum fuerit, nõ tamen ita ſtatim fuit editum & in vſum Eccleſiæ datum: atque hinc eſt quod Irinæus & ex eo Euſebius in hiſtoria ſua ſcribant Matthæum apud Hebræos propria ipſorũ lingua edidiſſe ſcripturam euangelij, cum Petrus & Paulus Romæ euangeliſarent & fundarent Eccleſiam. ac proinde pluſquã viginti anni interceſſerunt à morte Chriſti, priuſquam vllum euangelium ſcripto in lucem fuerit emiſſum. Cæterum ſicut omnium primus Matthæus, ita omnium vltimus Euangelium ſcripto prodidit Ioannes. vixit enim vſque ad ſexageſimum octauum annum à paſſione Chriſti, vt in vita eius ſcribit Hieronymus. Atqui, teſte Euſebio, ad vltimum pene vitæ ſuæ tempus abſque vllius ſcripturæ indiciis euangelium prædicauit. Cum quo conuenit quod Epiphanius & Auguſtinus aſſerũt eum tunc demum euangelium ſuum ſcripto mãdaſſe, poſtquam reuerſus eſſet ex Patmo inſula,

ſula, in quam à Domitiano relegatus fuerat. Itaque Eccleſia noui teſtamēti pluſquam ſexaginta annis fuit & floruit magna parte totius orbis antequam haberet in ſcriptis euangelium Ioannis. Quáobrem ſicut eccleſia tūc fuit; ita & nūc eſſe poſſet abſque euangelio ſcripto. Præclare igitur ſcriptum reliquit Irinæus: Quid, inquit, ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nónne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias, cui ordinationi aſſentiunt omnes gentes? his itaque paucis confirmata tertia concluſione aggredior quartam. *Lib.3.cont. hæreſ. cap*

CONFIRMATIO QVARTÆ Concluſionis.

CVm aduerſarij noſtri vel inuiti cogātur admittere Eccleſiam diu abſque verbo Dei ſcripto extitiſſe, vt ſunt peruicaces, quo veritatem obſcurent, eo prolabuntur vt dicant poſtea omnia ſcripta eſſe: atque ita ſicut in veteri lege, vt aiunt, poſt editam legem Moyſi non fuit traditioni locus, ita nec in noua lege poſt emiſſam ſcripturam noui teſtamenti. Itaque contra eos hac concluſione aſſero quod Eccleſia fundata poſtea verbum

Dei ſcriptum ſit,non eo conſilio vt om-
nia quæ credenda ſunt ſcriberentur. Et
quia illi,quoad vetus teſtamentū,ſe om-
nino triumphare exiſtimant: age, oſten-
damus etiam ibi multa credita & obſer-
uata fuiſſe,quæ tamen ſcripto non eſſent
Timoth. 2. prodita. Quis enim dubitet poſt lap-
or. 4. ſum Adæ neminem iuſtificatum fuiſſe,
niſi fide vel proteſtatione fidei in media-
torem? Dicant ergo mihi vbi ſcriptum
inueniant remedium, quo & puellæ &
maſculi ante octauum diem morientes
guſt. li. 5. iuſtificabantur; & tamen aliquod fuiſſe
ura lu'ia- certum eſt quod habebant ex maiorum
n cap. 9. traditione. Præterea, quod primarū eſt,
Cor. 20.
br. 10. nónne ſanguis hircorum & vitulorum
oſſ. 2. omniaque legis ſacrificia ac cæremoniæ
erant vmbræ futurorū, vt dicit Paulus, &
proteſtationes fidei de Meſſia venturo?
habebant enim & illi, teſte Apoſtolo,
eundem ſpiritū fidei: ſicut ſcriptum eſt;
Cor. 4. Credidi propter quod locutus ſum. Cùm
l. 115. ergo id eſſet fundamentū legis: tamē nuſ-
quam nec in lege nec in prophetis id ſcri-
ptū cōperimus. itaq; traditio viua id eos
docuit. Sed nec ibi ſcriptum inuenimus
lat. 3.
ueſ. 17. quod lex tantū pædagogus eſſet ad Chri-
Cor. 15. ſtum, vt docet Paulus, & circunciſio om-
niaq; legalia in ipſo terminãda forēt. Imò
&

& ipſa littera videbatur cõtrarium docere: & hinc controuerſia tanta initio Eccleſiæ. nec tamẽ Sanctos ea cõſummatio atque abolitio futura latuit. nam id ſcire maxime pertinebat ad fidẽ in mediatorem venturũ. vnde ergo eam cognitione habuere niſi ex traditione? Sed & vbi inuenies in lege quicquam præſcriptum de ſacrificio quod offerebatur pro mortuis? niſi tamen tale aliquod vſitatum fuiſſet ex maiorum traditione, non illud Iudas Machabæus defenſor legis, non pontifex ac ſacerdotes voluiſſent illud offerre. Ideoque & verbum Dei traditum tempore legis agnoſcendũ eſſe docent etiam vetuſtiſſ. patres Origenes, Hilarius, & apud Euſebium Anatolius reſpicientes ad illud quod legimus lib. 4. Eſdræ Dominum ad Eſdram dixiſſe, Reuelans reuelatus ſum ſuper rubũ, & locutus ſum Moyſi, & enarraui ei mirabilia multa, & pręcepi ei, dicẽs; Hæc in palam facies verba, hæc abſcondes. Ac proinde, vt ſupra oſtendi, Moyſes & prophetæ nos hortantur, vt maiorum traditionem ſequamur eorumque veſtigiis inhæreamus. Cæterum & ſi Moyſes legem ſcripſerit, & inſuper adiecerit, quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino; nec addas quicquam

2. Mach.

Origenes 5 in Num.

Euſeb. lib. hiſt. eccle. cap. 28.

Hilarius pſal. 2.

Lib. 4. cap. 14.

Concluſ. ma.

Deut. 12

quam

quam nec minuas: non ideo inhibitum
fuit Eccleſiæ præfectis alia quædam fa-
cere & præſcribere, quæ lege non erant
comprehenſa. nam de ſolis iis quæ repu-
gnãt legi loquitur Moyſes. Sic enim Da-
uid admodum piè & laudabiliter cogita-
uit ædificare templum & cantores ac vi-
ces miniſtrorum Domini diſtinxit. ſic
Reg. 7. Salomon illud ædificauit & magna ſol-
Paral. 23. lennitate dedicauit. ita etiam poſt redi-
Reg. 6. et 8. tum è captiuitate Babilonica templum
dr 6. dedicatum fuit, necnon & murus ciuita-
hemiæ 12. tis etiam adhibita ſupplicatione. ita duo
ſter. 9. dies feſti recẽs inſtituti ſunt tẽpore Mar-
Macb. 4. dochæi. Quin & annuum feſtum dedi-
nnis 10. cationis templi, quod & Chriſtus ipſe
obſeruauit, de nouo inſtituerũt Macha-
bæi. Sed & Rechabitæ à Domino bene-
er. 35. dictionem accipiunt quod ſeruando præ-
ceptum patris ſui à vino abſtinerent: &
inter natos mulierum nõ ſurrexit maior
e 5. & Ioanne Baptiſta, qui tamen non ex lege
ſed Spirituſſ. inſtinctu docuit ſuos diſci-
tb. 9. pulos orare & ieiunare. itaque & vetus
teſtamentum non ita ſcriptum fuit, quin
etiam reliquum fecerit locum traditio-
ni. Nec quiſquam poteſt nobis calum-
niam ſtruere, dum dicimus obſeruanda
eſſe, quæ Apoſtoli totaque Eccleſia in-
ſtinctu

ſtinctu Spirituſſancti nobis præſcripſere, etſi in noua lege ſcripta non ſunt. Cæterum quid opus eſt vt concluſionem hanc vlterius corroborem, quoad legem nouam? cum in declaratione ſecũdæ concluſionis certiſſimus exemplis oſtenderimus multa credenda eſſe in nouo teſtamento, quæ tamen ſcripto prodita non ſunt: & in defenſione primæ concluſionis efficaciter comprobauerim & Chriſtum & Apoſtolos multo plura docuiſſe quam ſcripta ſunt. Porrò autem ipſimet ſcriptores nouæ legis de ſe teſtificantur ſe non omnia ſcripſiſſe nec ſcribere voluiſſe. Ioannes enim, qui vltimus euangelium ſcripſit, aperte teſtatur ſe nõ omnia ſcripſiſſe quæ Ieſus fecit, imò id impoſſibile eſſe. & alibi ſignificat ſe quædam habere quæ ſcripto nollet committere. quemadmodum & Paulus indicat ſcribens Theſſalonicenſibus & Corinthiis, vt ſupra declaraui. Multum ergo abeſt vt omnia voluerint ſcripto comprehendere. Neque enim, vt dicit Euſebius, Apoſtolis curæ fuit vt ſua ſcriptis mandarent; ſed miraculis & diuina virtute freti ſua ſimpliciter tradidere, & tantum certa occaſione occurrente pauca eaque breuiter admodum ſcripto mandarunt.

Ioannis 20. & 21.
In 2. & 3. epiſtola.
2. Theſſ. 2.
1. Cor. 11
Concluſ. 1.
Lib. 3. hiſt. eccleſ. ca. 21

darunt. Quod autem dico in concluſione; omnia ſcripta eſſe quæ ſcribi debuere; id eo feci: in primis vt declarem non omnia ſcribi debuiſſe, vt iam ex Ioanne & Paulo oſtenſum eſt. Hinc Dionyſius Areopagita & Baſilius ea quæ ad formas Sacramentorum & adminiſtrationẽ Eccleſiæ pertinent, ſcribi non debuiſſe aſſerunt, ne ab impiis prophanarentur, & ludibrio paganorum exponerentur ſacroſancta myſteria. Hinc nec illa ſcripta inueniuntur, quæ per quadraginta dies de regno Dei poſt aſcenſionem locutus eſt Chriſtus. Deinde id adieci vt oſtendam omnia ſufficienter ſcripta eſſe, ſi modo ipſam ſcripturã ſequi volumus, nec eſſe animo rebelli ac peruicaci. nam in ſcripturis nobis commendatur eccleſia eiuſque authoritas oſtenditur, vt per eam velut columnam ac firmamentum in fide confirmemur. Ipſa etiam ſcriptura nos mittit ad Eccleſię doctores, quos vult nos audire eiſque obedire, ne circumferamur omni vẽto doctrinæ ad circumuentionẽ erroris. Sed & ipſa deniq; nobis cõmendat traditionem, & aperte proteſtatur nos verbum ſcriptum cum verbo tradito debere coniungere. Ergo abunde & pluſquam abunde fidelibus credentibus

Dionyſ. li. de Eccleſiaſt. Hierar. cap 1.
Baſil l.b. de ſpiritu ſ. cap. 17.
Act. 1.
Matth. 18.
1. Timoth. 3.
Matth. 23.
Eph. 4.
Hebr. 13.
Ioannis 16.
2. Theſſ. 2.
Luc. 17.
Luca 22.
fra Cõcluſ.
Sap. Conſ. 1.

cibus ſufficiunt ea quæ ſcripto tradita ſunt. Quare recte Auguſtinus, Quamuis, inquit, huius rei de ſcripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarũ etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commẽdat authoritas. His omnibus bene perſpectis, arbitror & hanc quartam concluſionem ſatis eſſe confirmatam & declaratam. Veniamus ergo ad declarationem quintæ. *Lib. 1. contra Creſc. Grammat. cap. 33.*

CONFIRMATIO QVINTÆ Concluſionis.

NIhil profecto eſt quod hoſtes veritatis non machinentur, vt pugnẽt contra veritatem. Quocirca dum vident luce clarius eſſe, multa & credenda & ab omnibus obſeruanda eſſe, quæ ſacris literis non continentur, alia via nitũtur verbum Dei traditum, etſi non in totum tollere, tamen omnino labefactare & infirmare. Si, inquiunt, velitis traditioni non ſcriptæ locum dare, feneſtram aperietis anilibus quibúſuis fabulis & impiis erroribus. Sed nos iſti calumniæ hac concluſione reſpondemus. Abunde fidelibus cautum eſſe per authoritatem Eccleſiæ,

cuius eſt iudicium ac teſtimonium ferre de vtroque Dei verbo tam ſcripto quàm non ſcripto: ſic enim ad Apoſtolos totamq́; Eccleſiam loquitur Chriſtus: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem & vſque ad vltimum terræ. &, Ecce, ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationem ſæculi. quare & ipſe Paulus cum de eius Euangelio dubitaretur acceſſit ad Apoſtolos, & contulit cum eis euangelium, ne in vacuum curreret: eiusque prædicatio in concilio Apoſtolorum fuit confirmata. vnde Auguſtinus, ipſe Paulus, inquit, poſt aſcenſionem Domini de cælo vocatus ſi non inueniret in carne Apoſtolos quibus cõmunicando & cum quibus conferendo euangelium eiuſdem ſocietatis appareret, Eccleſia illi omnino non crederet. & Hieronymus, Oſtendit, inquit, ſe non habuiſſe ſecuritatem euãgelij prædicandi, niſi Petri & qui cum eo erant fuiſſet ſententia roboratum. Quare omniũ ore celebrata eſt illa Auguſtini ſententia, qua aduerſus Manichæos diſputans dicit: Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas. itaque ſicut Eccleſia mater ſemper aduigilauit quoad verbum Dei ſcriptum, ne ei quicquam detraheretur, néue

Act. 1. Matth. vlt.

Galat. 2. Act. 15. Lib 28. contra Fauſtum. cap. 4.

Hierony. in epiſt. ad Auguſtinum.

Lib. contra epiſtolam fundamenti.

néue prætextu ipſius aliquid falſi aut vani ſuis filiis obtruderetur. ita & ſedula æque fuit in conſeruádo Dei verbo tradito ſeu non ſcripto. Nam, quemadmodum legimus apud Euſebium & Irinæum, veteres hæretici Marcion, Baſilides, Ebion & ſimiles, ſua falſa dogmata obtrudebant ſub nomine Apoſtolorum, & interim ea quæ vere ab eis ſcripta erant reijciebant. Sic etiam de Manichęis & Priſcillianiſtis refert Auguſtinus. Ita etiam fuere qui ſub prætextu verbi Dei nón ſcripti obtrudebant ſua ſomnia: vt de Valentinianis & aliis hęreticis ſcribit Irinęus. Verũ quemadmodum illi repulſi ſunt ex iudicio Eccleſiæ, ita & hi; vt idem Irinæus ibidem teſtatur. Sic etiam, cum Cyprianus negaret traditionem eſſe Apoſtolicam nõ rebaptizandos eos qui ab hæreticis fuerunt baptizati; celebratũ eſt (poſt eius tamen ex hac vita deceſſum) Concilium illud generale, quod contra Donatiſtas vrget Auguſt. vbi declaratũ & definitum fuit, quod ea eſſet traditio Apoſtolica. Ita quoque, quando Aſiani contendebant ſe ab Apoſtolo Ioanne accepiſſe vt decimaquarta luna Paſcha celebrarent, Latini veró & alij contra aſſerebant ſibi à Petro & Paulo traditum eſſe non debere

Euſeb. lib. biſtor. eccl cap 25. & 27. & li. cap. 8. Irinæ. lib. cap. 29.

Lib. de hær. ad Quoduuldeum.

Lib. 3. cap. 3. & 4.

Lib. 1. con. Donat. ſub & lib. 2. c. Lib. 4. cont Donatiſt. ca 6. & lib. 5 Lib. 2. con Pan. cap. 1

ib. 5. hiſtor. ecleſ cap. 23 & 24.

cum Iudæis paſcha celebrari, vt eſt apud Euſebium: conuenit Eccleſia in cōcilio Niceno & oſtēdit traditionē Latinorum, non autem Aſianorū eſſe verè Apoſtolicā.

thanaſ. in epiſt. ad Aphricanis. Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini.

Sic etiā factum fuit oborta cōtrouerſia ſuper traditione de ieiuniis, perpetuitate virginis Mariæ & aliis. Porrò ſicut in huiuſcemodi quęſtionibus omnis cōtrouerſia authoritate Eccleſiæ ſopita eſt: ita etiā factum eſt, mota difficultate ſuper intelligentia vtriuſq; verbi. Quemadmodum enim cū Arrius aliiq; hæretici diſſidium mouebant ſuper interpretatione Sacræ ſcripturæ, iudiciū ſuū interpoſuit Eccleſia: ita etiā cum Papias, teſte Euſebio, occaſione traditionis Eccleſiaſticæ ab Apoſtolis acceptę, multis eſſet cauſa erroris, & hæreſeos Millenariorū autor extaret: Eccleſia vidēs eum nō rectè intelligere quæ ab Apoſtolis accepit, & ſpiritualiter eſſe intelligenda quæ corporaliter intellexit, eam interpretationem reiecit, & pariter errorē reſtrinxit. Quocirca animaduerſa diuina prouidentia, Spirituſſancti perpetua directione, Chriſtiq; immenſo erga eccleſia amore; non eſt quod metuamus occaſione traditionis nobis poſſe illudi aut errorē imponi, ſi modo obediētiæ & nō rebellionis filij eſſe velimus. Quando

ib. 3. hiſto. ecle. cap. 39.

enim

enim certo concilio videmus Eccleſiam definiiſſe id, quod venit in cõtrouerſiam, eſſe veram Apoſtolicam traditioné, omnis quæſtio debet ceſſare. Quando etiam videmus vnanimiter & cõformiter conſuetudinem ab omnibus ſemper & vbiq; obſeruatá eſſe, non relinquitur dubitandi locus. nam, vt dicit Auguſtinus, quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum ſed ſemper retentũ eſt, nõ niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. & de his quidem quę toto terrarum orbe obſeruantur, diſputare num ita facienda ſint, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. nam in his rebus, inquit, de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos populi Dei vel inſtituta maiorũ pro lege tenẽda ſunt. Sed & nemo ſanæ mentis ambigere debet, quin illud vere ſit Apoſtolicũ quod Patres concorditer aſſerũt pro traditione Apoſtolica ab Eccleſia ſemper receptum fuiſſe, qualia ſunt ſignaculũ Crucis, abrenunciatio Sathanæ & ea quæ fiũt circa Baptiſmũ & Euchariſtiá, & quod oratio fiat verſus orientem, & id genus multa alia. Sed eam diſputationem vlterius ingredi nolo. hæc declarationi quintæ concluſionis ſufficiant. Aggrediar ſextam quæ longe maximi momenti eſt.

Lib. 4. contr. Donatiſt. ca. 24.

Epiſtola 11 cap. 1.

Epiſtola 86

CONFIRMATIO SEXTÆ Concluſionis.

QVanta ſit horum temporum calamitas vel ex eo animaduertimus, quod illi, qui præſentis diuiſionis fuere authores, ita ſuum ſchiſma inchoarint vt meditentur illud facere perpetuum. omni enim Eccleſiæ autoritate & viua traditione reiecta, per quam eorum error arguatur, aiunt ſolam ſcripturam in omnibus controuerſiis eſſe iudicem, & ad eam vnicam recurrendum. Ecquis erit contendendi finis? quomodo eorũ pertinacia ingenia conuinces? Aiunt ſcripturã ſcriptura eſſe interpretandam, & ita veram intelligentiam eruẽdam. Sed ipſi eo modo ſcripturam accipiũt quo volunt, eamque pro ſuo ingenio cudunt & recudunt in idem ſemper vitioſe redeũtes, nullumque admittentes in effectu interpretem, niſi ſeipſos. Et quis tandem erit litigandi terminus? Itaque vt oſtenderem has eſſe meras diaboli technas, & ſubterfugia ab ipſa veritate, hanc concluſionem iſti errori oppoſui; docens in omnibus fidei controuerſiis & contentionibus non recurrendum ad ſolam ſcripturam, ſed ad ſcripturã pariter traditioni coniunctam.

[Pr]ima ratio. Et, vt id ita eſſe intelligas, quæro abs te,

cuius

cuius teſtimonio cognoſcas ſacram ſcripturam eſſe ſcripturam? nónne eccleſiæ? Si ergo per Eccleſiã accepiſti ſcripturam: vnde ſecurius & tutius eiuſdẽ intelligentiam petes, quã ab ipſa Eccleſia? Eodem enim ſpiritu debet interpretari, quo ſcripta eſt. Sed vbi certius inuenies Spiritum ſanctum quam in Eccleſia, quæ continuo ab ipſo dirigitur? Cui per Eſaiam loquitur Dominus: Spiritus meus qui eſt in te & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui à modo vſque in ſempiternum. &, Ego rogabo patrem, inquit Chriſtus, & alium Paracletum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis. Verum & ipſi Chriſtus continuo in omnibus adſiſtit in eamq; ſemper gratiæ ſuæ dona influit, vtpote eius caput exiſtens, cui etiam dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Ergo in omnibus tempeſtatibus ad quem potes melius quam ad hunc portum confugere? Cæterum, quia vbique inculcas ſcripturam, audi obſecro ipſam ſcripturam, & eius iudicio ſtato, & vide anne ad Eccleſiam atque traditionem te mittat. Audi quomodo apud Michæã & Eſaiam dicatur: Venite aſcendamus ad montem

Eſaia 59.
Ioannis 14.
Matth. vlt.
Ratio ſecũd.
Eſaie 2.
Matth. 4.

Domini, & domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas & ambulabimus in ſemitis eius. &, ſi difficile, inquit Moyſes, &
Deut. 17. ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris; ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque
Malach. 2. ad ſacerdotes Leuitici generis. nam labia Sacerdotis cuſtodiunt ſciẽtiam, & legem requirent ex ore eius. Et ad Petrum Eccleſiæ caput, & ſupremum in terris gu-
Lucæ 22. bernatorem loquitur Dominus; Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fra-
1. Timoth. 3. tres tuos. Vere ita iuxta Paulum Eccleſia
Ephes. 4. eſt columna & firmamentum veritatis, à qua in omnibus dubiis debemus ſtabiliri & firmari, ne ſimus velut pueri vbique vacillantes & fluctantes. Et quid obſecro poteſt eſſe arrogantius & ſtultius quã proprio velle ingenio inniti & ſibiipſi arrogare ſcripturæ intelligentiam; nec velle attendere quomodo eam Eccleſia aut
Tertia ratio. maiores noſtri expoſuerint? Atqui quor-
Ephes. 4. ſum Chriſtus poſuit in Eccleſia Apoſto-
1. Cor. 12. los, prophetas, & doctores, & dedit Euangeliſtas & paſtores daturuſque eſt, quoad omnes occurramus in virum perfectum? Sed ad quid obſecro? Nonne vt ab ipſis paſcamur & doceamur? Id certè decla-

declarat Paulus, eos videlicet datos eſſe ad conſummationem Sanctorum in ædificationem corporis Chriſti: vt ab illis conſummemur & ædificemur in corpus Chriſti. Qui ergo fit quod eos non velis accedere, vt ab ipſis paſcaris & docearis? Fruſtra ne promiſit Dominus apud Hieremiam: Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina? Itaque audiendus eſt Paulus, qui nos admonet non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, vnumquemq; ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Quamobrem, niſi plane deſipere velimus, & nos totos addicere impietati, in omnibus controuerſiis debemus oculos conuertere ad doctores Eccleſiæ, quos Deus in hoc nobis dedit, & ſedulo conſiderare quomodo pij & ſancti illi viri in ſcripturis verſatiſſimi & Spiritu ſancto pleni, qui etiam pro ipſa Chriſti doctrina ſanguinē ſuum profudere, qui ab Apoſtolis eorumq́ue diſcipulis ſcripturarum intelligētiam accepere, & Eccleſiam vbiq; propugnarunt, videre, inquam, debemus quomodo pręclari illi Antiſtites ſcripturā intellexere. Quod ſi facimus: nulla ratione falli poſſumus. Et hinc eſt quod id tam ſerio nobis ab Apoſtolis præſcriptum ſit,

Hierem. 3

Roman. 12

Hebr. 13.

vt ita ab omni errore nos tutos facerent. Mementote, ait Paulus, Præpoſitorũ veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbũ Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem. Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſæcula. doctrinis variis

Pet. 3. & peregrinis nolite abduci. Et Petrus, Memores, inquit, ſitis eorum quæ prædixi verborum à ſanctis prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum præceptorũ Domini & Saluatoris, hoc primum ſcientes quòd venient illuſores. Ecce quomodo hi clariſſ. Apoſtoli nos armant traditione maiorum aduerſus omnes ſectas & illuſiones errorũ. Nihil enim eſt quod Spiritusſanctus per ſcripturas pectoribus noſtris adeo inſerere ſtudet, quã vt ſequentes maiorum doctrinam ac fidem in vnitate fidelium nos contineamus. Idem Chriſtus Apoſtolis & ipſorum ſucceſſo-

Matth. 5. ribus dicit: Vos eſtis lux mundi, Vos eſtis

Io. 1. Matth. 13. ſal terræ, Vos eritis mihi teſtes, ſignificans omnes ab eis debere cõdiri, illuminari ac teſtimonium de veritate ſcripturæ accipere: Nam vobis, ait, datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datũ; vel, vt eſt apud Lucam, cęte-

Luc. 8. ris autem in parabolis, ſignificans verum ſcripturæ ſenſum à maiorum traditione in Ec-

in Eccleſia accipiendum eſſe. Ideo enim & Eccleſiá ipſi Apoſtoli Sáctorum communionem in ſymbolo vocauerunt, vt doceát nos, quotquot de Eccleſia eſſe volumus, debere cum Sanctis communicare in fide & doctrina, vt ita permaneat vnitas & cõcordia. Et illud eſt, ait Vincentius Lyrinenſis, quod nos monet Paulus inquiens: Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſentétia. Et alibi: Rogo vos fratres vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula, præter doctriná quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Et rurſus: Deus nõ eſt diſſenſionis Deus ſed pacis, id eſt, inquit Vincẽtius Lyrinenſis, non eius qui à conſentienti vnitate defecerit, ſed eorum qui in conſentienti pace permanſerint. Quamobrem recte aduerſus Conſtantinum Imperatorem impium illum Arrianum queritur Diuus Hilarius: Mortales, inquit, ſemper cum viuis bella geſſerunt. tibi vero inimicitiarum nullus eſt finis. Receptos enim iam in æternam quietem patres no-

In lib. cont. Nouat. hær.

1. Cor. 1.

Roman. 1

Contra. hæ

Lib. 1 adue Conſtantin

ſtros laceſſis,& in decreta eorum peruerſus irrumpis. Apoſtolis nos communicare Sanctorum memoriis docuit: tu eos
Homil. 29. Matthæi. damnare coegiſti. Aperte etiā docet Origenes eos dicere: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, qui exponunt ſcripturā non eo modo quo eam exponit Eccleſia. Quocirca ab omnibus amplectēdum eſt con-
Eccleſiaſt. 12. ſilium Salomonis, quando ait: Verba ſapientum ſicut ſtimuli & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno. his amplius fili mi ne requiras. In quæ verba ſcribens Hieronymus: Exceptis, inquit, his verbis, quæ ab vno paſtore ſunt data, & à concilio atque cōſenſu probata Sapientium nihil tibi vindices: maiorum ſequere veſtigia, ab eorum autoritate nō diſcrepes.
Comparatio. Sed quamobrem obſecro (vt inquit Vincentius ille) voluit Dominus Scripturæ adiunctam traditionem? Quia in varios ſenſus poteſt torqueri, & alioquin futura eſt velut Lesbiæ ædificationis regula, quā omnes volent ſibi applicare; cuiuſque velamine vnuſquiſque inania ſua conuenta conabitur tegere. Ac proinde traditio eſt comes indiuiduus ipſius ſcripturæ, & eius velut anima ac ſpiritus, nec ab ea
...ab. 4. vnquā debet ſeparari. Quid enim? anne

& diabolus attulit ſcripturam ad perſuadendum Chriſto vt de templo ſe præcipitem daret? Hoc pacto & Pſeudoapoſtoli ſe transfigurabãt in Apoſtolos Chriſti & miniſtros iuſtitiæ contra Paulum (vt declarat Vincentius) allegantes ſcripturas. Hæ enim ſunt veſtimenta ouium ſub quibus latitant pſeudoprophetæ: ſed luce traditionis adhibita mox apparent lupi rapaces. ſed & impoſtores illi viuentibus adhuc Apoſtolis eorum ſcripta deprauabant. Id enim de eis queritur Petrus, quod Pauli epiſtolas ſicut & cæteras ſcripturas deprauarent. Siquidem illud Pauli: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia (teſte Auguſtino) in peruerſum ſenſum detorquebant: &, vt ipſemet Paulus dicit, aſſcrebant ipſum docere: Faciamus mala, vt inde eueniant bona. Quin & illud quod ait Paulus: Nos qui viuimus qui reſidui ſumus, non præueniemus eos qui dormierunt, aliorſum rapiebant, hinc docentes diem Domini inſtare provt docet Hieronymus: & ideo coactus fuit Paulus ad id corrigendum poſteriorem epiſtolam ad Theſſalonicenſes ſcribere. Quid ergo mirum ſi & nunc Apoſtolorum ſcripta, totamque canonicam ſcriptu-

2. Cor. 11
Matth. 7.
2. Pet. 3.
Roman. 5.
Lib. de fid. operibus c. 14.
Roman. 3
1. Theſſ.
queſt. 11 Algaſian

pturam quidam deprauent? Verum vt tunc recurrebant ad Eccleſiam & Apoſtolos ad habēdum verum ſcripturæ ſenſum: ita & nunc recurrendum eſt ad Eccleſiam, inſpiciendaque veteris eccleſiæ maiorumque traditio. alioquin, vt dicit Hieronymus, de Euangelio Chriſti fiet Euangelium hominis & quod peius eſt diaboli. ſic enim loquitur Hieronymus: Marcion, Baſilides & cæteræ hæreticorum peſtes, inquit, non habent Dei Euangelium, quia non habent ſpiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe euangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis ſed in radice rationis. alioquin & diabolus, qui loquitur de ſcripturis & omnes hæreſes ſecundum Ezechiel inde ſibi conſuunt ceruicalia. grande periculum eſt in eccleſiam loqui, ne forte interpretatione peruerſa de Euangelio Chriſti hominis fiat Euangelium, aut, quod peius eſt, diaboli. Hæc Hieronymus. Sic & Hilarius oſtendit; omnes hæreſes patrocinium ſuæ ſectæ ex ſcripturis accipere; &, vt ipſe ait, de intelligentia hæreſis non de ſcriptura eſt, ſenſus non ſermo fit crimen. Ideoque veriſſime

cap. 1. epi. Galatas ibens.

itth. 4. ech. 13.

1. aduerſus Stantinū. 2. de itate.

riſſime de Donatiſtis dicit Auguſtinus, quod contra Chriſtum portent ſignum Chriſti & contra Euangelium de ipſo Euangelio quod non intelligunt glorientur. Et autor librorum hypognoſticon de Pelagianis aſſerit, quod eorum dogma arma contra legem ſumat ex lege, impugnet euangelium ex Euangelio pugnás, & in ſui perniciem de veris mẽdacia fingens prouocat ad mẽdacium veritatem. Sic Arrius quadraginta vel quadraginta duabus ſcripturis de veritate ſumptis putidum erroris ſui mendacium obuelare conatus eſt. ſic Neſtorius, ſic Eutyches, ſic Macedonius, & ad vnum omnes hæretici ad ſcripturas prouocabant. Quin etiam Gnoſtici hæretici obſcæniſſimi & abſurdiſſimi vtebantur & nouo & veteri teſtamento ad confirmationem ſui erroris, vt eſt apud Epiphanium. Sed & Iudæi per ſcripturas errorem ſuum tuentur. Quare bene Hylarius, Quod accepi, inquit, teneo nec dimitto quod Dei eſt. ſed memento tamen neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum ſcripturas prædicare ea quibus blaſphemat mentiatur. Hinc enim Marcellus verbum Dei cum legit, neſcit: hinc Photinus hominem Ieſum Chriſtum cum loqui-

Epiſtola 61

In prologo.

Hæreſ. 26

Lib 3. ad Ius Conſtantinum.

loquitur ignorat. Hinc & Sabellius dum quod ego & pater vnum ſumus non intelligit ſine Deo patre & ſine Deo filio eſt. Hinc & Montanus per inſanas feminas ſuas paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi princeps diabolus eſt: Omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur; fidem ſine fide prætendunt. Scripturę enim nō in legendo ſunt, ſed in intelligendo, neque in præuaricatione ſunt ſed in charitate. hæc Hilarius.

...nta ratio. Quamobrem ne ſpecie recti & occaſione ſcripturarum decipiamur monet ſcriptura, vt relictis omnibus nouitatibus ſemper videamus quid primo prædicatū fuerit, quando Eccleſia fuit plantata. Quemadmodum enim primo iactū eſt fundamentum, ſic debet permanere, nec vlla ratione debemus ab eo diuelli. Id enim eſt, quod diſcipulo ſuo Timotheo ſcribit Paulus; O Timothee depoſitum cuſtodi deuitans prophanas vocū nouitates & oppoſitiones falſi nominis ſciētiæ: vbi monet vt quod traditum eſt retineret firmiter & eo ſe ſemper conuerteret aduerſus omnes nouitates, vt pręclare illum locum pro traditionibus exponit Vincentius. Idem etiā Galatis denunciat; Si quis, inqui-

...imoth. 6.

...bell. contra ...

inquiens, vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Imò, inquit licet nos aut Angelus de cælo euãgelizet vobis, præterquã quod Euangelizauimus vobis, Anathema ſit. Sic etiã Ioannes; Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domũ, nec aue ei dixeritis. certum quippe eſt quod Chriſtus nõ ſit fruſtra pro nobis mortuus: nec voluerit nobis falſum euangelium prædicari, aut de vno errore in aliũ trahere, ac proinde verum vbique euangelium prædicatum eſſe, eamq; fuiſſe veram religionẽ, qua publico cultu in Eccleſiis colebatur à Chriſtianis Deus primis trecentis aut quadringentis annis à Chriſti paſſione. Itaque ea religio retinenda nobis eſt, & eo in exponẽdis ſcripturis debemus reſpicere, ſi nolimus falli, vt in oratione coram vobis habita ſatis perſpicue oſtendi. Nam, vt dicit Paulus, fidelis eſt Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos non eſt in illo, eſt & non, ſed eſt in illo, fuit Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſæcula. doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, Nam, vt Eſaias & Petrus teſtantur, Verbum Domini manet in æternum. Et vt Dominus ait: Bonum ſemen eſt quod ſeminat filius hominis, & poſtea inimi-

Galat. 1.
Epiſtola 2.
2. Cor. 1.
Hebr. 13.
Eſa. 40.
1. Pet. 1.
Matth. 13.

Inimicus homo ſuperſeminat zizania. Ideoque vult Spirituſſanctus vt interromus generationem priſtinam, & ne tráſgrediamur terminos antiquos, & vt inquiramus de ſemitis antiquis, vt multis ſcripturis oſtendi in declaratione primæ concluſionis. Quare certam regulá omnibus Chriſtianis præfigit Hieronymus: Sicubi audieris, inquit, eos qui dicuntur Chriſti non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quodam alio nuncupari, vtpote Marcionitas &c. ſcito non Eccleſiam Chriſti ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. ex hoc enim quod poſtea inſtituti ſunt, ſe eos eſſe indicát quos futuros Apoſtolus pronunciauit. Verum quid hæremus in confirmanda hac concluſione, cum munita ſit & cõfirmata tot præiudiciis? iam enim ab initio Eccleſiæ, in omni dirimenda controuerſia is modus ſemper obſeruatus fuit, vt antiquitatis & traditionis haberetur ratio, vt cõſtat ex omnibus Conciliis per quæ controuerſiis fidei finis impoſitus eſt. Quando enim, quoad ceſſationé legalium, quæſtio mota fuit, nónne Paulus iuit ad prædeceſſores ſuos Apoſtolos & contulit cum eis Euangeliũ? Nónne & in primis quatuor conciliis ita contra hæreticos proceſſum fuit? Patres enim

Iob 8. Prouerb. 22. Hier. 6.

In dialogo contra Luciferia.

Sexta ratio.

Galat. 2. Acto. 15.

enim Nicęni concilij ad declinãdas technas & aſtutias Arrianorum pronunciauerũt filium eſſe patri ὁμοούσιον, ſiue conſubſtantialem: eiq́ue ſententiæ ab omnibus ſubſcribi voluerunt. obſtrepentibus autem Arrianis hanc vocẽ in ſcripturis non reperiri reſponderunt; quod non ſuopte ingenio hanc vocem excogitaſſent, ſed à Patribus accepiſſent, qui ante annos fere centum & triginta Romę & Alexandriæ conuenerant; prout refert Athanaſius in epiſtola ad Afros, & ex eo Theodoretus. *Lib. 1. cap hiſtor. eccleſiaſt.* Cum etiam id concilium coactum fuerit ad dirimendam controuerſiam, quæ erat inter Aſianos & aliorũ Eccleſias de celebratione Paſchæ, vt ſupra dictum eſt: euidens eſt vel imprimis eos Patres traditioni innixos fuiſſe. *Concluſ. 1* Quod autem attinet ad Synodum primã Conſtantinopolitanam coactam ſub Theodoſio Magno: Socrates & Sozomenus in hiſtoriis ſuis referũt quod ex conſilio Nectarij & Siſinnij, autoritate Patrum & Maiorum, quorum martyrium & vitã reprehendere non audebant, confutati & cõuicti fuerint in eo concilio Arrianorum Epiſcopi. *Socrat. lib cap. 10. Sozome. l. 7. cap. 12* Quomodo vero Patres concilij Epheſini primi, authoritate Patrum atque ex maiorum traditione, cõdemnauerint Neſtorium,

Contra haereſ. refert Vincentius Lirinenſis: qui ſub finem ſui libelli narrat quorúmnam Patrum teſtimonia in eo cõcilio allata fuerint; & quomodo ibidem in omnibus ratio habita fuerit antiquitatis & traditionis. egregia quoque fuit ſententia, quam Capreolus Epiſcopus Carthaginenſis in ea ſynodo pro traditione dixit: quam etiam in actis ipſius Concilij inſertam dicit Vincentius. de Neſtorio etiam, contra quem concilium iſtud coactum fuit, *Lib 7.ca.73.* ſcribit Socrates, quod veterũ ſcripta perdiſcere dedignatus ſit, & quod linguę volubilitate & elegantia inſolenter ſe efferens, cum veteres neglexerit, tum ſeipſum omnibus antecellere exiſtimauerit. quinimo tam ſceleratæ fuit prçſumptionis, vt dicit Vincentius, vt ſacram ſcripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret quicunque ante ſe magiſterij munere præditi diuina eloquia tractauiſſent; vniuerſos ſcilicet ſacerdotes, vniuerſos confeſſores & martyres: ideoque dum Cyrillus epiſt. octaua contra eum adferret Patrum autoritates qui Mariam Deiparam vocarint, ipſe contra epiſtola ſequẽti docet ex ſcripturis eam non Deiparam ſed Chriſtiparam appellari debere. Hinc legimus in epi-

epiſtola dicti Concilij ad Neſtorium, ſequentes omnium patrum confeſſiones quas in eis loquente Spiritu ſancto protulerunt; & in fine, hæc ſapere, inquiũt, edocti ſumus tã à ſanctis Apoſtolis quàm Euangeliſtis & ab omni ſcriptura diuinitus inſpirata, necnon à beatis Patrũ confeſſionibus veritate ſubnixis. Cæterum quod Patres in concilio Chalcedonenſi Entychem ex traditione & maiorum authoritate condemnauerint, patet ex diſputatione habita inter Entychem & Theophilum ac Maniam presbyteros, quæ habetur in Actione prima dicti Concilij. dicebat enim Entyches in qua ſcriptura iacent duæ naturæ? &, ego à ſanctis ſcripturis non didici duas naturas, & infra reſpondit Entyches, non continetur in ſcripturis; in expoſitione vero Patrum iacet; ad hæc Reuerendiſſ. presbyter Manias reſpondens dixit: Eo modo ſicut ὁμοούσιον in ſanctis ſcripturis non iacet, ſed à ſanctis Patribus expoſitum eſt, ita & de duabus naturis idem ſancti Patres expoſuerunt. Quamobrẽ Patres dicti concilij in Actione quinta vnanimi voce clamant: Hæc eſt fides Patrum. qui præter iſta ſapit, hæreticus eſt. Iſta fides orthodoxorum. ideoq; Leo orat Martianum

Epiſtola 43. ad Martianum Auguſt. Auguſtum ne patiatur in dicta ſynodo fidem, quam beati Patres ab Apoſtolis traditam acceperunt, in dubium reuocari. ita etiam ad Entychē ſcribens vrget contra eum traditionem. *Epiſtola 13. contra Entychem.* Dum autem iſta mecum conſidero: ſatis certè mirari nequeo eos qui ſe recipere quatuor prima generalia concilia profitentur; tamen cum eis nólle amplecti traditionē. Certè niſi ſibipſis contrarij eſſe velint: vel cum impiis quatuor illa Concilia repudiēt, vel vna nobiſcum cum illis cōcilijs traditionem admittant. Porro quoad cōſequentia concilia nulla opus eſt probatione. quia id longe certiſſimum eſt. nam & in eis habētur certæ definitiones pro traditione. *Vt in ſynodo Trull can. 19. & Synod. 2. Nicæna generali c. 1. & aliis.* & ſane obſeruatione imprimis dignum eſt hanc inueſtigandæ veritatis rationem adeo fuiſſe omnibus perſuaſam tempore ſextæ ſynodi generalis, vt ipſi Monothelitæ ſuam hæreſim (vt & aduerſarij noſtri interdum faciunt) hac via tueri voluerint corruptis ad id Patrum ſcriptis: vt patet ex eadem ſynodo, vbi Epiſcopi qui conuenerant autoritatibus Patrum reſtitutis eas pro ſe facere docuerunt, & hęreſim Monothelitarum condemnauerunt. hinc & Martinus primus in primo concilio Lateranēſi agens

contra

contra prædictam hæreſin, pluribus canonibus adiecit: Si quis ſecundum Patres iſtud vel iſtud non credit ſit condemnatus. Cæterum ſicut patres vna congregati in conciliis, ita & in ſuis priuatis tractatibus ac ſcriptis ex traditione confutarunt hæreſes ſui temporis. Sic enim Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, & denique ad vnum omnes fecere. Vnde & Innocentius ad patres concilij Carthaginēſis ſcribens eos laudat quod antiquæ traditionis exempla ſeruaſſent in condemnandis Pelagianis. Verum nihil fortaſſe hęc mouebūt pertinaces aduerſariorum noſtrorum animos: interim oſtēdent magnam illorum impietatem & veſanam arrogantiam, qua toti veteri Eccleſiæ, quam tam copioſè ſuis donis ornauit Spiritus ſanctus, atque omnibus veteribus Patribus tam petulanter ſeſe præferunt. Explodenda ſane magis quam confutanda huiuſcemodi ſuperbia. Sed valeant illi. nos vero audiamus quid Orientales Patres Synodi ſextæ in Trullo celebratę nobis præſcribant. Oportet, inquiunt, eos qui præſunt eccleſiis, clerum & populum docere pietatis eloquia ex diuina ſcriptura colligentes intelligentias & in-

Septima ratio.

Athanaſ. in epiſtola de Synodis Arimin. Seleuciæ celebratis. Baſil. lib. de Spiritu ſancto ca 27 & 29. Ambroſ. lib. 3. de fide ad Gratianum. Auguſt lib. 1. & 2. contra Iulianum. Hierony contra Vigilant. Helio. in epiſ. ad Euagriū.

Canone 19.

dicia veritatis,& non tranſgredientes iam poſitos terminos vel diuinorum Patrum traditionem. ſed etſi ad ſcripturam pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit; ne eam aliter interpretentur quam quomodo Eccleſię luminaria & doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt, & maiorem ex iis laudem aſſequentur, quam ſi quæ à ſe dicuntur componant. Sed & Dionyſius ille Areopag. Ad ſanctiſſimarum, inquit, ſcripturarum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus, cõtuendas pro viribus pergamus. Hinc de Baſilio & Gregorio Naziázeno ſcribit Rufinus, quod per tredecim annos ſolis ſacris literis operam dederint, earúmque intelligentiam non ex propria præſumptione ſed ex maiorum ſcriptis & authoritate ſequuti ſint; quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe cõſtabat. Et ad Honoratum ſcribens Auguſtinus, Nulla, inquit, imbutus poetica diſciplina Terentianum Maurum ſine magiſtro attingere non auderes: Aſper, Cornutus, Donatus & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poeta poſſit intelligi: tu in eos libros (ſacros ſcilicet) ſine duce irruis? Porro vt prolixam huius concluſionis declaratioñe ſemel finiam; id poſtremum

Lib. de cæleſti hierarchia cap. 1.

Lib. 2. hiſtor. eccleſ. cap. 9.

mum

mum adijcio: Quod ſi contra iam dicta à ſcriptura traditionem velimus ſeparare in dirimendis controuerſiis & rationem inueſtigandæ veritatis iam dictam contra omne antiquitatem reſpuerimus; condemnabimus omnia concilia omniumq́ue veterum hæreticorum cõfutationes ac condemnationes irritas & caſſas reddemus, idq́; efficiemus vt omnes antiquæ hæreſes renaſcantur, & nouæ quotidie exoriantur. vt bene docet Hierony. Nec ſibi, inquit, blandiantur ſi de ſcripturarum capitulis videantur ſibi affirmare quod dicunt. alioquin ſi literam ſequimur, poſſumus & nos nouum dogma componere, vt aſſeramus in Eccleſia non recipiendos qui calceati ſint, aut duas tunicas habeant. Hæc Hieron. Sicut enim ſingulis ferè annis Ariſtotelei, ſi eis ita viſum fuerit, nouá opinioné cudunt ex eodé Ariſtotelis textu; ita & quotidie ex eodem ſcripturæ textu noua quotidie dogmata per vertiginoſum ſuum cerebrum fabricabunt homines impij & arrogantes; vt quotidiana experiẽtia nos ſatis docet. Sed iam pergamus ad confirmationem vltimæ concluſionis.

In Dialogo contra Luciferianis.

CONFIRMATIO SEPTIMÆ *ac vltimæ Concluſionis.*

HÆc vltima concluſio merito vniuſcuiuſque animum ferire ac penetrare deberet; ne temere de eccleſiaſtica traditione maiorumq́ue doctrina male ſentiat. Nam quid eſt omnem traditionem Eccleſiæ aſpernari, niſi ſe efficere membrum diaboli & miniſtrum Satanæ, & deſerto omnium Sanctorum cœtu cum impiis illis hęreticis, quos Orcus infernalis iam olim eructauit, contra Chriſtum eiuſque dilectam Eccleſiam ſtare, atque Antichriſti regnum promouere? Nemo certe quantumuis malus facile deberet in ſocietatem illorũ commigrare, quos totus orbis Chriſtianus pro blaſphemis & verbi diuini corruptoribus & ſatellitibus Belial ſemper habuit. Cuiuſmodi ſunt omnes antiqui illi hæretici qui Eccleſiaſticam traditionẽ, vtpote errori ſuo contrariam, repudiauerunt. Sic de Montano ſcribit Euſebius ex Apollinare Galatiæ epiſcopo, quod nimia primatus cupiditate accenſus proloqui cœperit noua quædam & diuerſa ab his, quæ ex ſucceſſione maiorum tradita erant. Sic Valentinus alijq́ue hæretici ei coæui recedentes ab accepta doctrina coarguuntur

b. 5. hiſtor. ecleſ. cap. 16

erroris

erroris ab Irinæo, quod cum Apoſtolica traditione non conuenirent. Sic Manichæi, Priſcillianiſtæ & alij id genus hæretici. de Arrianis autẽ id longe certiſſimũ eſt. Nam & Conſtantij Imperatoris Arriani edictum fuit; Nolo verba quæ non ſcripra ſunt dici. quod impugnat Hilarius. Ita & Maximinus Arrianorum Epiſcopus imprimis proteſtabatur ſe nihil velle admittere prҫter ſcripturæ textum, vt eſt apud Auguſtinum. Eiuſdem fuere farinæ Macedonius, Neſtorius, Dioſcorus, Eutyches, vt è præcedentis concluſionis declaratione ſatis oſtẽſum eſt: quos etiam ob id execratur Baſilius quidã Ancyræ Epiſcopus, vt habemus in Synodo ſecunda Nicæna. De Donatiſtis autem Heluidio, Iouiniano, Vigilantio, aliiſque adhuc recentioribus notius eſſe puto, quam vt vlla probatione egeat. Atq; adeò commune id eſſe omnium hæreticorum ſubterfugium ſolo admiſſo ſcripturæ textu negare omnem traditionem ac Patrum eccleſiæq; cõſenſum inde colligas, quod hæreſis in hoc conſiſtat quod recedatur à communi cõſenſu & proprio ſenſui quis innitatur: ac proinde vniuerſi hæretici reiecta vetuſtate nouitatis fuere autores, vt docet Vincentius Lirinenſis.

Lib. 3 contr hæreſ. cap. 2 3 & 4.
Theodo lib cap. 3.
Lib. 5 hiſtori tripartitæ, cap. 7. 8. & 20.
Lib. 1. contr Conſtant.
Lib. 1. contra Maximinum.
Actor. 1.

ideoque & illi nouatores tunc demum cœperunt multum inualeſcere, quando diſcipuli Domini ex hac luce fuere ſublati: quia tunc liberius traditionem potuerunt deprimere, & ſcripturam ad ſua praua dogmata ſtabilienda contorquere,
3. hiſto. cap. 32. vt teſtis eſt Egeſippus apud Euſebiū. Verum tale eſt ingeniū vertiginoſum & inquietum hominum hæreticorū, qui ſoli videri volunt. At longe alius eſt ſpiritus veterum illorū, qui veritatis protectores ſuo ſanguine & doctrina immēſisq; laboribus Eccleſiam ſtabiliuerunt. hi ſane, vt pote vnitatis & pacis ſtudioſi, vna cū ſcriptura traditionem ſemper cōiunxerunt. Et quid opus eſt ſingula ipſorū ſcripta hic commemorare, in quibus traditionē Eccleſiaſticam ſuo teſtimonio confirmant? tum ſupra audieritis quomodo pariter in conciliis congregati vnanimi conſenſu traditionē ſemper admiſerint, & eius autoritate hæreticorum errores propulſauerint: & inſuper quomodo etiā ſinguli tum ad hæreſes conuincēdas, tum ad ſcripturam debite intelligēdam ad maiorū traditionē ſemper confugerint. Interim aliqua eorum pro traditione in mediū adferam teſtimonia: vt ſaltem eorum tam grauium & ſanctorum virorū verba te moueant.

ueant. Audi enim quid Dionyſius Areopagita diſcipulus Pauli de traditione ſentiat: Primi, inquit, illi hierarchiæ noſtræ duces ac principes cęleſtis partim ſcriptis partim non ſcriptis ſuis inſtitutionibus nobis tradiderunt. Sed quid Ignatius diſcipulus S. Ioannis? Omnis, inquit, qui dixerit præter ea quæ tradita ſunt, tametſi fide dignus ſit, tametſi ieiunet, tametſi virginitatem ſeruet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet, lupus tibi appareat in grege omni corruptionem operans. Hæc Ignatius. qui etiam, vt de eo ſcribit Euſebius, cum per Aſiam ſub cuſtodia nauigaret ad ſingulas quaſque digrediens ciuitates Eccleſiæ populos Euangelicis cohortationibus edocebat in fide perſiſtere, & vt diligētius ac tenacius Apoſtolorum traditionibus inhærerēt; quas traditiones cautelæ gratia ſe etiam ſcriptas aſſerit reliquiſſe. hæc de eo Euſebius. Qui & Egeſippum autorem æque vetuſtum ſcribit, ſynceram & minime fucatam apoſtolicę prædicationis traditionem quinq; libris memorię prodidiſſe. Iuſtinus etiam martyr agens de precatione orientem verſus, à quibus, inquit, Eccleſia precandi morem accepit, ab his etiam vbi precandum ſit, accepit, id eſt à Sanctis Apoſtolis.

Lib. de ecc hierarch. c.

Epiſtola ad Hieron.

Lib. 3. c.

Lib. 4 hiſt. eccleſ. c.

Queſt. 118 inter queſt. Gentil. poſitas.

Cæte-

Cæterum quam præclare de traditione loquitur antiquus ille ſcriptor Irinæus?
3.cap.4. Apoſtoli, inquit, quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè in Eccleſia contulerunt omnia, quæ ſunt veritatis: vti omnis quicunque velit ſumat ex eo potum vitæ. hæc eſt enim vitæ introitus. omnes autē reliqui fures ſunt & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos; quæ autem ſunt eccleſię cum magna diligentia diligere, & apprehēdere veritatis traditionem. Quid autem? ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nónne oportebat ordinem ſequi traditionis? Hæc ille. Porrò & Tertullianus inter Latinos ſcriptores vetuſtiſſimus, in libro de corona militis, quanta commemorat, quę Apoſtoli citra ſcripturā nobis reliquere? è quibus oſtendit recipiendam
1. Strom. eſſe traditionem. Clemens etiam Alexādrinus præceptor Origenis late oſtendit Apoſtolos multa ſine ſcripto tradidiſſe, quæ vulgo omnibus nota eſſe nolebant: & de ſe ſcribit (apud Euſebiū) quod multum fuerit ſollicitatus vt ea quæ à ſucceſſoribus Apoſtolorum voce ſibi ſola tradita eſſent deſcriberet, & poſteris traderet.
6. hiſt. cap.11. Origenes quoq; eius diſcipulus homil. 5. in Numeros diuerſas cōmemorat Eccle-
ſiaſti-

ſiaſticas obſeruationes, quas, inquit, facere neceſſe eſt, & eas à Pontifice magno & filiis eius traditas atq; cõmendatas ſuſcepimus. & alibi; Cùm multi ſint, inquit, qui ſe putent ſentire quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à prioribus ſentiant, ſeruetur eccleſiaſtica prędicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſq; ad præſens eccleſiis permanés. illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſtica diſcordat traditione. Verum quàm pulchre Athanaſius? Quæ, inquit, fides in eorum actis, (de Arrianis loquitur) ſi decreta maiorum ſuorum ſoluant, aut quomodo eos quibus ſucceſſere Patres ſuos appellabunt, quorum ſententias ipſi culpant? Quid docebunt populos ab ipſis inſtitutos? an patres ſuos lapſos eſſe? quomodo ipſi veri apud diſcipulos ſuos habebuntur, quibus perſuaſuadent præceptoribus credendum non eſſe? quibus porro oculis intuebuntur monimenta Patrum ſuorum, quos ipſi hæreticos nominant? Quod ſi male ſenſerint, & ſcriptis ſuis orbem terrarum ſeduxerint: ceſſet omnino eorũ memoria & ſcripta eorum abijciantur. Ite ergo vos ipſi & eruite eorum reliquias. hæc Athanaſius. Sed quis firmius vnquam dedit

Lib. 1. κατ' ἀρχῶ.

In epiſtol Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis.

de tra-

b. de Spiri- ſancto cap. 27. de traditionibus teſtimonium, quam magnus ille Baſilius, qui rationibus ſcripturis & multis exemplis eas confirmat. Inter cætera autem dicit: Dogmata quæ in eccleſia prædicātur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædā rurſus ex Apoſtolorū traditione, in myſterio, id eſt in occulto tradita recepimus: quorum vtraq; parem vim habent ad pietatem, & arbitror, ait, Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis traditionibus inhærere. Laudo vos, inquit, quod omnia mea meminiſtis, & quēadmodum tradidi vobis traditiones obtinetis, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam, &c. Alia ſuperius ex ipſo attuli. Si autē mireris quomodo dicat paria illa eſſe ad pietatē: *audi quid martyr dicat Cyprian⁹, Æqua eſt autoritas & poteſtas, nec minus ratū eſt quod dictāte Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit, & in ſui commemoratione fieri præcepit. Ita etiam loquitur Chryſoſtomus exponens illud Pauli; Fratres, State & tenete traditiones quas didiciſtis. hinc patet, inquit, quod non omnia per epiſtolā tradiderūt, ſed multa etiam ſine literis: eadē vero fidigna ſunt, tam illa quam iſta. Itaque traditionem eccleſię fide quoq; dignam putamus.

Margin notes: Iſdem lib. c. 29. — 1. Cor. 11. — eiuſ. 2. — *de cœn. Dn. Cyp ſer. de ablutione pedum.* — 2. Theſſ. 2.

tamus. Traditio eſt: nihil quęras amplius. Idem eiſdem verbis dicit Theophylactus eundem locum exponens. In expoſitione quoque huius loci ad Corinthios, Sicut tradidi vobis pręcepta mea tenetis: Ex eo (inquit) quod ait; Quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis, perſpicuum fit quod haud pauca ſine ſcriptis tradiderit, & ipſe & reliqui Apoſtoli. Pulchre etiam Ambroſius: Seruemus, inquit, præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus? & quomodo fidem eorum poſſumus denegare quorum victoriam prædicamus; Vt interim taceam quod de Sacramentis & de iis qui myſteriis initiantur ſcribens traditionem non mediocriter cõfirmet. huc accedit Epiphanius in hæreſi Arrianorum Traditiones confirmans & ſcriptura corroborans. Sic etiam in hæreſi Apoſtolicorum; Oportet, inquit, & traditione vti. non enim omnia à diuina ſcritura accipi poſſunt. Quapropter aliqua in ſcriptis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, ſicut dicit ſanctus Apoſtolus; Sicut tradidi vobis. & alibi; Sic doceo & ſic tradidi in Eccleſiis, & ſic continetis niſi fruſtra crediſtis. hiſce adſtipulatur etiam Hieronymus. Multa, inquit,

Lib 2. de fid cap. 7.

1. Cor. 11.
1. Cor. 14.
1. Cor. 15.

quit, quę per traditioni in eccleſiis obſeruātur autoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt. Eadem quoque eſt ſententia Auguſtini: Multa, ait, non inueniuntur in literis eorum, videlicet Apoſtolorum; neque in conciliis poſteriorum, & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. Et alibi: Multa ſunt quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene credūtur, quanquam ſcripta non reperiuntur. alia ex eodem ſupra allegaui. Porro Vincentius Lirinenſis Gallus, qui tempore concilij Epheſini extitit, etiam libello edito efficaciſſimè & ſolidiſſimè traditionem defendit; docens hanc ſemper fuiſſe & eſſe catholicorum conſuetudinem, vt fidem veram duobus his modis approbent: primum diuini canonis autoritate, deinde catholicæ Eccleſiæ traditione. Leo autē ait: Dubitandum nō eſt, dilectiſſimi, omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ, & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de traditione Apoſtolica & de Sancti ſpiritus prodire doctrina. Poſſem & alios in mediū adferre, atque ad vnum omnes ſcriptores Eccleſiaſticos ad hæc vſq; tēpora hic cōmemorare: quia vſque

Auguſt. li. 2. contra Donatiſtas.
Lib. 5. c. 23. contra Donatiſtas.
concluſ. 5.
Ser. 2. de ieiunio Pentecoſtes.

vna & cócors eſt omnium pro traditione ſententia:ſed nó eſt operæpretiú. hi enim quorum núc teſtimonium protuli fuere totius orbis Chriſtiani lumina: quos omnes intuiti & ſequuti ſunt. Hi omnes floruere intra quatuor prima Cócilia generalia, quæ omnes admittūt. Ac proinde & hos vel inuiti cogūtur accipere pro Patribus aduerſarij noſtri. horum ſētētia fuit ſētētia totius Eccleſiæ veteris, quæ intra primos quadringētos annos extitit. horū doctrinam & ſententiam omnes alij Patres & doctores poſteriores amplexi ſunt. Quamobrē cum hi omnes tá præclari & ſancti viri, qui in diuerſis locis & diuerſis tēporibus extitere Eccleſiamq́; gubernarunt, iá velut in certo quodá concilio congregati vno ore vna voce pro traditione pronuncient: Merito poſſum dicere, oés Patres ita ſentire. hęc ergo eſt fides Patrū. hęc eſt fides eccleſię: Qui contrariū ſenſerūt, oés hæretici, oés cōdemnati. Sed hæc quoad vltimā concluſionem ſuffecerint.

Breuis eorum quæ contra prædicta obijciunt aduerſarij confutatio.

CVM ſecundum Apoſtolum nō ſatis ſit docere & exhortari, ſed etiá oporteat contradicentes arguere, Tit. 1.

veritate declarata, operæpretiũ eſt ea cõfutare, quibus dictæ veritati occurrũt aduerſarij. Cæterũ ſicut in omni oratione, ita & in hac diſputatione & confirmatione omnes ſuas vires accipit confutatio. Ex declaratione enim quartę & ſextæ cõcluſionis euidẽs eſt nos omnino aſſerere ſacram ſcripturam ſufficientẽ eſſe, modo eam accipias debite ſecundum maiorum & Eccleſiæ conſenſum, quemadmodum ipſamet præſcribit, in eaq́; comprehẽdas traditionem quam ipſa demonſtrat, & ad quam te mittit: & hoc modo ſcriptura vere canon eſt, alioquin futura ſicut plũbea Lesbię ædificationis regula. Satis etiã declarauim⁹ nihil ſcribi debere quin ſcriptum ſit, ac proinde canonem ſcripturarũ perfectum eſſe: ideoq́; nihil facit contra
2. Timot. 3. nos quod dicit Paulus; Omnis ſcriptura vtilis ad docendũ, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. nam vt omittamus Paulum ibi loqui de ſcriptura veteris teſtamenti, vltro agnoſcimus ſcripturam non modo vtilem ſed ſufficientem eſſe vt hominẽ perfecte inſtruat ad omne opus bonum, ſi humilis ſis & eius cõſilio acquieſcas, eaq́; amplectaris quæ tibi proponit.

Ac proinde non cõtra nos, ſed pro nobis facit quod dicit Abraham⁹; Audiát Moyſen & Prophetas: & Chriſtus; Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternã habere: Id enim prædicamus: audiendas & ſcrutandas eſſe ſcripturas; quas ſi audiamus, vitã in eis certo certius inueniemus. Et noſtra doctrina eſt, numerum Canonicarũ ſcripturarum eſſe perfectũ: & ideo contra Manichæos & Priſcillaniſtas adferimus illud Ioannis; Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitę & de ciuitate ſancta. quia illi Apoſtolicis ſcriptis multa detrahebant, aliaq; impie ſcripta ſub nomine Apoſtolorũ obtrudebant. Quin & veremur ne noſtri aduerſarij iſti maledictioni reddantur obnoxij, quia & ipſi ſcripturas quaſdam canonicas reijciunt, & populis tãquam pſalmos Dauidis rithmos ſuos decãtandos proponũt, vt eos redarguit Eraſmus: ſed & ſuis prauis & detortis verſionibus totam ſcripturam cõtaminant. Agnoſcimus etiam veriſſimum eſſe quod ait Ioannes: Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam

Luce 16. *Ioannis 5.* *Apocal 22.* *In epiſtol. ad fratres inferioris Germaniæ.* *Cap. 20.*

habeatis in nomine eius: finis enim ſacræ ſcripturæ eſt fides per charitatem operãs, per quam nos ducit ad vitam æternam. & ad eam conſequendam ſufficiunt ea quæ ſcripta ſunt; omniaq́; quæ ſcribi debuere ſcripto mandata ſunt, vt etiam bene declarat Cyrillus. hinc Auguſtinus, Cum multa, inquit, feciſſet Dominus Ieſus, non omnia ſcripta ſunt. electa autem ſunt, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentiũ ſufficere viſa ſunt. & alibi: Quicquid ille (videlicet Chriſtus) de ſuis factis & dictis nos legere voluit, hoc ſcribẽdum illis tanquam ſuis manibus imperauit. & Irinæus: Non per alios dſpoſitionem ſalutis cognouimus, quam per eos, per quos euangelium peruenit ad nos. quod quidem tunc præconiauerũt, poſtea verò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei futurum. Et Auguſtinus, Maxime debetis, inquit, animaduertere & memoriæ veſtræ mandare, quod contra inſidioſos errores Deus voluit ponere firmamẽtum in ſcripturis. contra quas nemo audet loqui qui quoquo modo ſe vult videri Chriſtianũ. Si enim nihil ſcriptum eſſet: quid impij homines non facerent? cum etiam nunc audeant ſuis ingenij prauis commen-

...ct. 49. in ...nem. *...1. de cõ... ...u Euang. ...35.* *...3. contra ...eſ. cap. 1.* *...ct. 2. in ...o. Ioãnn.*

men-

mentis ſcripturam contaminare, & omnem autoritatem traditionis & Eccleſiæ reijcere, quam tamẽ ſcriptura commendat. Nam, vt dicit Auguſtinus, qui Eccleſiam audit ſcripturam audit cuius autoritate Eccleſia commendatur: Sed & hac regula bene perſpecta, nõ eſt quod nobis obijciãt illud Auguſtini contra Maxim. in quo tantopere gloriantur. Sed nunc, inquit, nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquã præiudicaturus proferre concilium. nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris, ſcripturarum autoritatibus non quorumcumque propriis, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Nam cum Auguſtinus ad ſacras ſcripturas prouocat, quas etiam Arriani plurimas pro ſe adferebãt. à ſcripturis noluit ſeparare verũ ſenſum ſcripturarum, qui ex patribus præcedentibus hæreſim Arrij & cõtinua ſucceſſione Eccleſiæ petebatur. vnde potiſſimum conuincebantur Arriani. & dum non vult Auguſtinus adferri in diſputatione contra Arrianos concilium Nicænum, non ideo parui facit autoritatẽ Conciliorum quam tantopere vrget cõtra Donatiſtas. Sed quia de definitione concilij Nicæni

Lib. 1. con Creſco. Gramat. cap.

Lib. 3. con Maximin cap. 14.

inſtituta erat diſputatio; non debuit id proferri: nam id fuiſſet petere principiũ, & loco argumenti adferre cõcluſionem. Quemadmodum ſi quis diſputationem ingreſſurus cum iis qui nunc ſe ab Eccleſia diuiſerunt, proteſtaretur ſe nulli velle facere præiudicium per cõcilium Tridentinum, non propterea excluderet autoritatem aliorum conciliorum & præcedentis Eccleſiæ. Quinimo ex eodem fundamento oſtendimus, aduerſus ſextã concluſionem nihil facere has aut ſimi-
Theſſal.4. les ſcripturas; Omnia probate, quod bo-
Ioan.4. num eſt tenete: probate Spiritus ſi ex Deo ſint. Nam, cum ſcriptura id tibi præſcribit, non vult vt tuo ingenio & per teipſum omnia probes, ſed per Eccleſiam & doctores atque paſtores, quos tibi Dominus dedit. hi enim ſunt oculi corporis myſtici, per quos omnia debemus diſcernere, & quibus vtẽdo omnia quæ ad no-
[A]g.lib.2.de ſtram ſalutem pertinent clara nobis effi-
[Ch]ri.Chriſt. ciuntur; vt loquũtur Auguſtinus & Chry-
[ca]p.9. *[Ch]ryſoſt.ho-* ſoſtomus. Imò traditionem Eccleſiæ ſe-
[mi]l 37.2.ad quendo, & manendo in accepta ſemel
[Th]eſſalon. *Corint.2.* doctrina Spiritalis homo dijudicat om-
Ioan.2. nia. &, vt dicit Ioannes, nõ neceſſe habet vt aliquis eum doceat, ſed vnctio eum docet de omnibus: non enim opus eſt, vt inqui-

inquirat tempore ſchiſmatis quæ ſit vera vel falſa doctrina: quia ex vnctione acceptæ doctrinæ, nouit omnes alias doctrinas ei contrarias falſas eſſe, & cum Paulo dicit eis anathema: atque ita prout Christus monet ex fructibus doctrinæ, nouit pſeudoprophetas, certo ſciens omnes eſſe lupos, qui contra traditionem & doctrinam Eccleſiæ docent: hoc pacto inſtructus ſinit abire duces cœcos, & audit vocem paſtoris Chriſti, non alienorum. Id eſt ſanè quod dicit Irinæus de Barbarorum gentibus loquens in Chriſtum credentibus. Quibus, inquit, ſi aliquis annunciauerit ea quę ab hęreticis adiuuenta ſunt, proprio ſermone eorum colloquens, ſtatim conclúdentes aures longo longius fugient, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum colloquium: ſic per illam veterem Apoſtolicam traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium. hæc Irinæus. Magnũ itaque & firmũ arietẽ nobis ſuppeditant declarationes quartę & ſextæ concluſionis, quo facilè præcipuas omnes aduerſariorum noſtrorũ munitiones labefactamus.

Galat. 1. *Matth.* 7. *Matth.* 15. *Ioan.* 10. *Lib* 3. *cont hæreſ. cap.*

Porrò ex ſecunda & quinta concluſione conſtat, quas & quales traditiones de-

fendamus; nihilque nos admittere niſi quod & ſcripturis conſentaneum ſit, & honori diuino inſeruiat. Quamobrem peruerſe nobis obijciunt illud Deutero-
.4 et 12 nomij: Non addetis ad verbum quod vobis loquor nec auferetis ex eo. &, Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquã nec minuas. nam,
clus.4. vt ſupra ſatis oſtendi, Moyſes ibi loquitur de additione eorum quæ cum lege pugnabãt. præcedit enim, caue ne requiras cæremonias earum (videlicet gentium) dicens: Sicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam, &c. Quod præcipio tibi hoc tãtum facito Domino. Sic etiam intelligitur illud Ezechielis: In
ech.20. præceptis patrũ veſtrorũ nolite incedere. nam ſequitur, Nec in idolis eorũ polluamini: in præceptis meis ambulate. alioquin ſcriptura nos exhortatur vt Patres
li 8. noſtros ſequamur: & Dominus benedi-
8. cit Rechabitis eo quod iuxta præceptum
ut.32. patris ſui à vino abſtinerent, nec in taber-
erem.35. naculis habitarent. Eodem quoque pertinet quod ex Eſaia adferunt: Fruſtra co-
a.29. lunt me docẽtes doctrinas & mãdata hominum. agitur enim de traditionibus ho-
oſſa inter- minũ & non Dei, vt docet Gloſſa: At tra-
.in prædi- ditiones Eccleſiæ nõ ex ſpiritu humano,
um caput.

ſed

ſed ſpiritu diuino proficiſcuntur. Nam & ipſe Chriſtus exponit de traditionibus & doctrinis legi diuinæ cōtrariis; qualis erat illa qua docebát occaſione oblationis ſacrificij non eſſe ſubueniendū parentibus, quod pugnabat cū quarto mādato decalogi: cuiuſmodi plures cōmemorat Chriſtus Matth. 23. cap. De talibus etiā loquitur Paulus, Videte, inquiens, nequis vos decipiat per philoſophiam & inanē fallaciam, ſecūdum traditionem hominū, ſecundum elementa mūdi, & non ſecundū Chriſtum. nam, vt ex ſequentibus patet, partim ad Iudęorum partim ad Gentium ſuperſtitiones trahebantur Colloſſenſes: Sabbatum cum Iudæis obſeruabant: cum gentibus vero elementa & aſtra atq; Angelos velut mundi conditores diuino honore venerabātur. Ita & Galatæ ad egena elementa iterum conuertebantur, quibus in Gentiliſmo ſeruierant denuo per Iudaiſmum ſeſe addicentes. Ideoque dicit: Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. loquitur enim de doctrina euágelio quod ipſis prædicauerat contraria: & hinc eſt quod præmittat; Miror quod ſic transferimini in aliud euangeliū: nihilq; aliud vult quā vt ſpreta omni nouitate, doctrinæ ſemel

Matth. 15.

Coloß. 2.

Galat. 4

Galat. 1.

traditæ inhæreãt. Ac proinde ex hoc loco admodũ appoſitæ traditionẽ confirmant Athanaſius & Ambroſius. Cęterũ quemadmodum ſcriptura cõmendat nobis traditionem quæ à Spiritu ſancto proficiſcitur, at reſpuit traditionem hominũ quæ hominũ eſt & nõ Dei: ita & Patres maximè quidem traditionẽ cõmendant, tamẽ quãdo cum hæreticis agunt dogmata ex diametro ſacris literis repugnãtia aſſerentibus, nõ admittunt vllam probationẽ in præiudicium ſcripturæ, ſed volunt audiri ſolam ſcripturã. Sic Tertullianus aduerſus Hermogenẽ volentẽ mundum factũ eſſe de pręiacente materia audiendã dicit ſolam ſcripturam. Sic Baſilius diuerſis in locis loquitur audiẽdam nimirũ ſacram ſcripturam alia vero reijciẽda, videlicet, Scripturis contraria: quod vox Chriſti paſtoris audienda ſit & non aliena, & quod etſi Angelus de cęlo veniret & vellet nos docere præterquam accepimus, anathema ſit. Sic Cyprianus ad Pomponium, dicit traditionem de non rebaptizandis hęreticis ad Scripturas examinandam & ob id reijciẽdam quod Scripturis inueniretur cõtraria. in quo multũ eum falli declarauit Eccleſia. ita & Chryſoſtomus nõ vult admittere allegorias Origenis

[Ath]anaſ. lib. [de] incarnat. [Ver]bi. [Am]broſ. epi[ſto]la 32.

[In] ſermone [de] fidei cõfeſ[ſio]ne, & Re[gul]a 72. cap. [&] moral. & [Reg]ula 80. [cap.] 21.

nis,contra veram Paradiſi ſubſiſtentiam. *Homil.13. Geneſ.*
Oro, inquit,& obſecro, vt omnibus illis
præcluſis auribus ad amuſſim canonem
ſcripturæ ſequamur. ſic nec vult quoad *Homil.13. 2 ad Corit*
paupertatem & diuitias,opinionẽ hominum
mundanorũ audiri, ſed ipſam Scripturam.
Oro,inquit,vos omnes, vt relinquatis
quod huic vel illi videatur, & de
his à ſcripturis hæc omnia inquirite. Ita
& Auguſtinus confitetur ſe auxilio ſcripturarum *Libr. 6. Confeſſ.cap.5.*
eluctatũ eſſe ex hæreſi Manichæorũ.
nam illa hæreſis directè cũ ſcripturis
pugnabat, imò & ipſas reijciebat.
Idem quoque ex traditione agit contra
Donatiſtas,diſputás de baptiſmo.Verum
quando contra eoſdem de Eccleſia agit,
vult audiri ſolam ſcripturam. nam dogma
eorum, quo adſtruebant Eccleſiá eſſe
tantum in vna parte Africę,omnino ſcripturis
aduerſabatur quæ docent Eccleſiá
toto orbe eſſe diffuſam. hinc in libro de
vnitate Eccleſiæ, Non audiamus,inquit,
hæc dico,hæc dicis: ſed hæc dicit Dominus: *De vnit. Eccl.cap. 3 & 16.*
nolo humanis documentis,ſed diuinis
oraculis ſanctam Eccleſiá demonſtrari.
Et alibi: Lege hoc mihi de propheta, *De paſtor. cap. 14.*
lege mihi de pſalmo, recita de lege, recita *In pſal. 7.*
de Euangelio, recita de Apoſtolo,inde
ego recito Eccleſiam toto orbe diffuſam.

ſic &

ſic & aliis locis. Itaque videtis quomodo paralogizent noſtri aduerſarij quando ad hunc modum contra nos argumentantur: nam eorum ratiocinatio eſt à particulari ad vniuerſale. quaſi dicant; Scriptura & Patres non admittunt traditiones legi diuinæ cōtrarias; ergo nullas admittunt. Cæterum ex eadem concluſione quinta euidens eſt nos non defendere aniles fabulas aut hominum commenta. Ac proinde extra rem proferunt illud Hieronymi; hoc quia de ſcripturis autoritatē non habet eadem facilitate contemnitur qua probatur. nam ibi agitur de opinione eorum, qui volebant illum Zachariā quem occiſum dicit Chriſtus inter templum & altare eſſe patrem Ioannis Baptiſtæ. quod nullo nitebatur fundamento. Ita etiam contra nos nō facit quod Chryſoſtomus ait: Siquid dicitur abſque ſcriptura, auditorum cogitatio claudicat. nam præmittit: Non oportet quicquam dicere abſque teſtibus, ſólaque animi cogitatione. Sic etiam Origenes, Paulus, inquit, doctoribus eccleſiæ præbet exemplum, vt ea quę loquuntur ad populum non propriis præſumpta ſentētiis, ſed diuinis munita teſtimoniis proferant. Similia & alibi habet. neq; enim in ſuggeſtu, aut in enarratione alicu-

Hieron. in cō. en. in Mat.

Matth. 23.

Chryſoſt. in Pſal. 95.

3 caput e-. 7. ad Rom. Item in Hieremia homi. 1 in Matth homil 25.

alicuius ſcripturæ mera ſui capitis figméta proponere fas eſt. Ad eum modum etiam Auguſtinus: vbi, inquit, de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuuantibus diuinarum ſcripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in alteram partem declinando. Agit enim de origine animæ, de qua nihil certi aut ex ſcripturis aut ex continua eccleſiæ doctrina adferri poterat. Sed nónne ridiculum eſt, quod nobis etiam opponant illud Hieronymi, vbi ait: Abſque autoritate ſcripturarum garrulitas non habet fidem. vbi ſanctus Doctor cauſam dat, cur hæretici per ſcripturas confirment ſuos errores, Quia, inquit, garrulitas eorum alioquin nō habet fidem. facile ergo cognoſcis ex vnguibus, vt aiunt, leoné, & ex hoc teſtimonio perſpicis quo dolo vtantur in reliquis. Multum etiam vrgent contra nos quod dicit Auguſtinus; Ego ſolis iis ſcripturarū libris qui iam canonici appellantur didici hūc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum autorum ſcribēdo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Sed fruſtra hanc & ſimiles Auguſtini ſentētias proferunt, quia nulla ratione patrum ſcripta cum Canonicis æquamus. Nec etiā aduerſus noſtrā

Aug. lib. 2 de peccat. meri & remiß. cap. 36.

Hieron. in epiſt. ad Tit.

Epiſtola 1 Item lib. 1 contra Creſconiū Grām. Item li. 2. Donatiſt. c Item lib. 1 contra Fauſtum cap.

ſenten-

ſententiam facit, quod multi patrum in aliquo errauerint: quia ſicubi errauerint, error ille ſingulis fuit peculiaris. Atqui nos agimus de iis quæ communi conſenſu patres docent, & in quibus omnes conueniunt, quę ſine dubio ab omnibus amplectenda ſunt. quia talis doctrina eſt doctrina totius Eccleſię, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt, Atque ita, vt dicit Vincentius Lirinenſis, cum doctoribus debemus eccleſiam ſequi, non cum doctoribus eccleſiam relinquere. Simile quoque eſt quod ex eo traditionis autoritatem eleuarent, quod patres non conformiter omnes idem dent de omnibus traditionibus teſtimonium: ſed nec omnes eodem modo ſenſerunt de libris canonicis. Dubitatum enim eſt à multis de epiſtola Pauli ad Hebræos, & epiſtola Iacobi, atque aliis ſcripturis. Si ergo hic agnoſcis & approbas iudicium Eccleſiæ: quidni & in traditionibus? vt perſpicue oſtendimus in quarta concluſione. Tota ergo eorum machina corruit quam erigunt contra veritatem. Sicut & illud friuolum eſt, quod aiunt; Patres inter Apoſtolicas traditiones recenſere aliquas quę tamē hodie ab Eccleſia non obſeruātur. Quaſi videlicet minus propterea apoſtolicæ

[Ma]tth. 16.

[Li]b. contra [hæ]reſes.

licæ ſint. Nos enim iam non abſtinemus à ſuffocato & ſanguine. & tamen id conſtituêre Apoſtoli, ſed pro tempore. Interim nos de hiſce loquimur potiſſimum quæ vniuerſales ſunt, quæ nimirũ ab Apoſtolis acceptæ, ſemper & vbiq; ab omnibus fuerũt obſeruatæ: provt ſunt; ſignũ crucis, oratio pro defunctis, precatio verſus Orientem, obſeruatio quadrageſimę, & ſimiles. Itaque iis quæ iam allata ſunt, tam in confirmatione quàm in confutatione bene perſpectis exiſtimo nullũ eſſe argumentum, quod ab aduerſa parte adferri poſſit, quin abunde ſolutum ſit.

CONCLVSIO.

AVdiſtis itaq;, ornatiſſimi viri, ea quę à nobis dicta ſunt pro catholica veritate. Audiſtis etiam quàm parum imo nihil cõtra attulerint illi qui ſe ab Eccleſia diuiſerunt, & huius diſputationis fuerũt autores, vt facile intelligatis nullum habere fundamentum aduerſariam partem, vt iam ſatis oſtendimus. Quamobrem vt ſemel diſputationẽ finiamus, obſecro omnes vt ſibi ob oculos ponant conſilium Siſinnij: de quo ſcribit Socrates, quod cùm eſſet vir rerum *Lib. 5. ca. 10.* vſu peritus & in ſacris literis accurate eruditus, exploratum habebat diſceptationes non ſolum non reconciliare ſchiſmata, ſed hæreticos præterea ad cõtentionem multo magis accendere.

idcirco

idcirco tale conſilium Nectario dedit, vt cõcertationes dialecticas vitaret, teſteſque adhiberet formulas fidei à veteribus editas, efficeretq́; vt hæreticorum principes ab Imperatore, videlicet Theodoſio, rogarentur, vtrum aliquam rationem ducerẽt illorum doctorum qui ante diuiſionem probe Eccleſiam temperaſſent, an eos tanquam à religione Chriſtiana alienos reijcerent. Quocirca cum Imperatore Theodoſio & Athanaſio omnibus aduerſariis noſtris pro cõcluſione dicimus, vt omni diſputatione poſtpoſita vel anathematizent eccleſiam veterem quæ fuit intra primos quadringentos annos, omneſque martyres & confeſſores qui tanta pro veritate perpeſſi ſunt, & per quos fidem in Chriſtũ omnes accepimus, velut hęreticos abominẽtur, eorumq́; reliquias & libros comburant & memoriam condemnent: vel ſi id videatur ipſis & omnibus execrabile, vna nobiſcũ ad inſtar eorum Deo ſeruiant, fidemque ac religionem amplectantur, per quam illi (vt omnes agnoſcunt) Deo placuerunt, & iam in cælis cum Chriſto triumphant.

Socrates lib. 5. cap 10. Athanaſ. in epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE